



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio V. De oppositis Enti Reali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

cum advenire possint enti incompleto, imò nata sint advenire. Tum quia redit totum argumentum, quia in fulciri & sustentari æquè se habent forma materialis & accidentia, illarumque priorum prius ostendi debet substantialitas, quàm quòd possunt emanare subsistentiam. Ergo & in præsentī prius debet ostendi quid sit Accidens quàm quòd natum sit advenire.

EXPLICATUR aliter forma accidentalis ejusque in alietas, proportionatè ad ea quæ dicta de substantia, quòd scilicet ita sit in alio, ut licet absit nihil essentialē subjecto censeatur abesse,

hocque respicit tota illa definitio accidentis, quòd possit adesse & abesse sine subjecti corruptione.

ADDO. Posita entitate accidentis cum sola radicali in alietate, sine ulla actuali inhærentia, non est necesse superaddi modalitatem vel entitatem aliquam quæ sit inhærentia. Ratio, quia nulla hujus necessitas. Hinc nos nec subsistentiam dicimus esse quid superadditum entitati ipsi substantiæ, licet unio non possit esse sine aliquo superaddito, propter rationes alibi adlatas.



DISPUTATIO V.

De Oppositis Enti reali:

Enti reali oppositum I. est nihil, seu non esse entis. II. Opponitur enti quæcunque negatio, quæ si sit cum capacitate subjecti ad oppositum erit privatio, sine autem capacitate subjecti, mera negatio. III. Quod opponitur enti, est ens rationis.

Nihil autem & negatio hîc pro eodem sumuntur, condistinguuntur tamen eo, quod imprimis nihil spectat ad non esse, negatio autem spectat ad non dici, vel dici cum negatione; hinc nihil, opponitur esse, negatio autem opponitur affirmationi. Unde nihil est quasi quid prius, considerationis que metaphysicæ, negari autem & negatio, est posterius quid, spectansque ad dici. Rursus rigoroſè loquendo, nihil non requirit fundari in positivo sicut nihil creatum erat ab æterno, in nullo autem positivo fundatum. Negatio autem fundatur in aliquo positivo, ne detur negatio negationis.

Quod attinet ad ens rationis, illud etiam duplex est. Quoddam ens rationis Logicum & de hoc egimus in præcedentibus Logicis. II. Ens rationis antonomasticè dictum, seu ens rationis Metaphysicum, & de hoc in præsentī tractandum erit.

* *

*

QUÆSTIO I.

De Natura Entis rationis.

Sicut de aliis entibus ordinariè quæritur, ita & de entibus rationis quæretur, quid sint? & an sint?

DIFICULTAS I.

Explicatur: quid sit ens Rationis.

Multas explicationes entis rationis refutatas vide apud alios, hîc speciales perstringentur.

Punctum Difficultatis 1.

Quid per alios ens Rationis?

EXPLICAT I. Pontius. *Ens rationis est id, quod nequit aliquid efficere, nec inexistere alicui potenti efficere, nisi per considerationem potentia potentis aliquid considerare.* Hac explicatio

NON SATISFACIT. Tum quia datur in ente rationis aliquid prius, ex quo fluit, quòd non possit quidquam efficere, neque inexistere potenti efficere, hæc enim prædicata, sunt quasi relativa, quæ fundari debent in absoluto. Tum quia per Pontium duo entia rationis, quando à duobus

duobus distinctis cogitantur, habent similitudinem inter se, non minus quam quaecunque entia realia, quantumvis ut ille loquitur, nemo cogitet de illa similitudine. Et quia in principiis Scottistarum relatio similitudinis, est quid distinctum realiter à similibus, non erit ratio cur illa similitudinem, entia rationis non efficiant, ita ut non tantum ipsae fabricationes entium rationis, sint similes, productivaeque illius similitudinis, sed & ipsa fabricata, quae relatio, ut ipse dicit, debet esse nemine cogitante, ergo jam entia rationis, contra quam voluit Pontius, aliquid efficient. Tum quia negatio potentiae ad efficere, nequit aliquid efficere, nec inexistere potenti efficere, & tamen illa negatio non est ens rationis. Tum quia ut urget Mastrius ab eodem adductus, Ens reale, non recte per hoc describitur, quia potest aliquid facere aut inexistere potenti efficere, ergo nec ens rationis est id, quod nihil potest efficere, nec potest inexistere, potenti efficere. Neque valet quod dicit Pontius. Potuisse aliter adeoque dicto modo explicari ens reale: nam definitiones explanationesque rerum debita, sunt tales, ut aliter fieri non possint, sicut & ipsae naturae rerum, aliter fieri non possunt.

EXPLICAT II. Alarcon apud rec. Suar. Tr. 2. Log. Disp. 1. Ens rationis esse ens fictum, representans entitatem rerum, ad eum modum, quo Tragædus representat Hectorem, qui non est fictus, sed verus. Et ita format aliquis conceptum veli, quo vult significare tenebras, Ens rationis consistit in hoc v. lo, representante tenebras. Et sicut pictor pingens noctem, delineat nubes nigras, quae delineatio representat noctem; sic fictio rationis, consistit in hoc, quod velum nigrum tenebras exprimat. Et sicut nubes in imagine depicta, sunt signum ex instituto rei. Et sicut omne signum ad placitum fit per actum iudicii, sic & omne ens rationis. *Hac explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia quamvis certum sit, interdum per entia rationis, representari res veras, falsum tamen est, quod nullum ens rationis sit, nisi quod verum representat cum fictione, nam qui dicit Deus, non est, vel non est Trinus, per multos, facit ens rationis, & tamen non representat sibi verum. Tum quia ut infra videbitur, falsum est ens rationis non nisi per secundam operationem fieri. Tum quia alias etiam ars fabricare posset entia rationis. Tum quia ex generico suo praedicato ens rationis, debet esse aliquid impossibile. Porro fictio illic, non est aliquid impossibile, verum enim illud representatum erit aliquid possibile, in quo ergo stabit impossibilitas entis rationis? & quodcunque assignaveris impossibile, representatum ut verum, in illo potius stabit natura entis rationis.

EXPLICAT III. Suar. Illud esse ens rationis, quod cum nullam entitatem habeat, cogitatur tamen ut ens. *Hac explicatio*

NON SATISFACIT. Quia non explicatur cur ens rationis fieri non possit cogitando illud ut non ens, cum tamen habeat entitatem, quod si ens rationis sic etiam formari possit, dari debet superior ratio entis rationis, cuius haec sunt membra; Cogitari ut ens, cogitari ut non ens.

EXPLICANT IV. alii, quod ad rationem entis rationis sufficiat v. g. negationem realem apprehendere per species entis positivi, v. g. tenebras, per speciem nigri coloris, sparsi per aërem. *Hac explicatio* sic ut sonat accipitur.

NON SATISFACIT. Tum quia non apparet, cur usus praecise specierum indebitarum, faciat ens rationis, imò quando fingitur hircocervus, fingitur ens rationis, & tamen utimur specie hirci debite, quia ad representandum hircum, & specie cervi ad representandum cervum, quod si dicas, uti nos adhuc indebite illis speciebus, scilicet tanquam representativis identitatis, hoc ipsum est dubitabile, illane sola species ad hoc concurrant, & non species identitatis, quae certe non negationem realem, sed identitatem realem, licet impossibilem representabit. Tum quia cum possit formari ens rationis per speciem entis negativi, apprehendendo positivitatem realem, debet dari alius communis conceptus entis rationis, superior utraque hac specie. Tum quia licet enti rationis innectatur semper cognitio essentialiter falsa, tamen aliud est, ens Rationis, aliud cognitio essentialiter falsa, quae duo, non apparet qui distinguenda sint, si ens Rationis nihil aliud sit, quam negatio realis apprehensa, per species entis positivi.

ADDO. Explicari debere quid sit ista negatio realis, si enim intelligitur nomine negationis realis, vera negatio; certe veram negationem apprehendere per species entis positivi, non est facere ens Rationis, quando enim concipio tenebras esse, est tunc negatio realis, hoc est vera, & tamen concipio eam per speciem lucis, nam tenebrae sunt negatio lucis. Quod si per negationem realem intelligas debere scilicet fabricando ens Rationis concipi id quod non est, esse, hoc habet difficultatem, de qua infra, & insuper non recte dicto termino praedictum objectum explicatur. Caterum haec explicatio habet aliquid veri; dupliciter enim negationem illam possumus concipere. I. non utendo tantum illis speciebus tanquam medio cognoscendi, sed insuper affirmando vel apprehendendo tenebras, esse colorem nigrum, & tunc revera fieret ens rationis; nam erit simile objectum, quo compono & identifico albedinem DEO, dicendo: DEUS est albedo. II. Possum concipere tenebras, utendo speciebus coloris nigri, tanquam medio seu instrumento co-

† R 3

gnoscen-

gignendi: nam cum nihil sit in intellectu nisi prius sit aliquo modo in sensu, cum tenebræ sensum seipsis non moveant, utimur colore nigro & speciebus ipsius, ad percipiendam notitiam tenebrarum. Et tunc subdividi debet formalitas objecti cogniti, & formalitas modi noscendi, objectumque cognitum non erit ens rationis, sed privatio, modus tamen cognoscendi involvet ens rationis.

Difficilius est decernere: an quando sedente Petro dico Petrus currit, faciamne tunc ens rationis? In quo casu cogitans multipliciter se habere potest. Imprimis si cursum identificet sessioni, facitque indubiè ens rationis. Deinde si per errorem de sedente prædicet cursum, sed tunc falsum quidem dicit, sed non facit ens rationis, aliàs omnis falsitas esset Ens rationis, & hæc in particulari, non habet per quod extrahatur ad conditionem entis rationis. Denique potest intellectus considerare cursum Petri cum sessione, tantum sibi obijciendo cursum, cum non est existens, & tunc docet Oviedo cum recent. Suar. contra Hurtad. & Arriag. non fieri ens rationis, Ratio, quia meræ considerationes prædicatorum non sunt ens rationis.

Dubitari hic etiam posset an cum dico: Chimæra non existit faciam ens rationis, dicique potest illic secundum rationem inadæquatam fieri ens rationis, in quantum scilicet concipio Chimæram, quam nisi conciperem, non possem de illa dicere: Non existit, ita ut illa propositio, secundum inadæquatam rationem respondentem, subiecto, det esse, enti rationis, licet auferrat illi esse, secundum aliam rationem inadæquatam, respondentem prædicato: Non existit. Et licet Chimæra negatio, detur à parte rei, quam negationem illa propositio importat, quia tamen secundum rationem inadæquatam, dat esse objectivum Chimæra, illa propositio: fit ut secundum inadæquatam rationem, fiat tunc ens rationis, & sicut eadem propositio vel terminus, secundum inadæquatam rationem non esse; ita potest secundum inadæquatam rationem representare Chimæram, & ejusdem negationem, seu non existentiam.

EXPLICANT V. Alii communiter, quod ens rationis sit id quod habet esse tantum objective in intellectu. Hæc explicatio cæteris est præferenda, imprimis enim convenit, omni, soli, & semper, deinde quia prædicata, per quæ ab aliis explicatur ens rationis, huc, commodè revocari possunt. Si enim non habet esse nisi objective in intellectu, ergo non potest aliquid efficere, nec inexistere potenti efficere, ergo debet habere rationem ejus, quod habet esse tantum objective in intellectu &c.

Cæterum etiam hæc explicatio non satisfacit. Tum quia hoc quod habere esse nonnisi objective in intellectu, est quid respectivum ad

intellectum adeòque non primum, si possit assignari fundamentum illius talis respectus ad intellectum. Tum quia in ente reali, ratio cognoscibilis non est primò essentialis, daturque prior radix illius cognoscibilitatis, ergo idem inquirendum in explicanda natura entis rationis. Ut ergo tandem explicetur natura entis rationis, sit

Punctum Difficultatis 2.

*Premittuntur quadam ad explicandam
Naturam Entis rationis.*

PRÆMITTO I. *Non esse idem formaliter & absolute, ens impossibile & ens rationis.* Quamvis possint sub aliqua formalitate in idem recidere. Sicut non est idem formaliter animal & rationale, licet in idem recidant in homine.

RATIO est. Tum quia diversis formaliter opponuntur. Impossibile enim opponitur possibili, ens autem rationis enti reali, sicut ergo ea quibus opponuntur, ita & illa inter se distinguuntur, oppositorum enim eadem est ratio. Tum quia ly impossibile potest accipi pro genere ad ens rationis, & tanquam ratio superior. Impossibile item si non sumatur pro modo Logico, est oppositum ly *Possibile* sive *Possibile* spectetur in causis sive in seipso, in seipso enim etiam, dicit impossibile, quod non possit esse. Jam autem ens rationis, dicit referibile ad ly: *nosci*. Tum quia retineri debet communis apprehensio, licet sit illi aliquid addendum, quod ens rationis sit, quod habet esse nonnisi objective in intellectu, ratio autem impossibilis non est objective tantum in intellectu, ratio autem impossibilis non est objective tantum in intellectu. Cum hoc tamen stat, ut impossibile in partem venire possit descriptionis, Entis rationis.

PRÆMITTO II. *Non esse formaliter idem ens rationis & negationem.*

RATIO. Tum quia nemine cogitante dantur negationes, v. g. tenebræ, non extendi ulterius &c. Entia autem rationis non dantur nemine cogitante, unde existentia negationum licet abusiva, est, non esse; existentia autem entis rationis, licet abusiva, non est non esse, sed fingi. Tum quia negatio bis dicta de subiecto, extrahetur à ratione negationis fietque affirmatio, imò id habet etiam impossibile, quod est species negationis: si enim dicam, impossibile est quod hoc sit impossibile, resultat hæc veritas, est hoc possibile. Item si dicam: Petrus non est non homo, resultat conceptus: Petrus est homo. Dixi autem illas repetitiones debere

debere fieri circa aliquod subiectum, quia si negatio vel impossibile prædicetur de seipso, sine extractione ad aliam veritatem, fiet nonnisi prædicatio identica. Jam autem bis dictum ens rationis, non extrahit unquam à formalitate entis rationis. Tum quia ex communi proloquio, omne ens positivum fundat in se negationes, includitque quodammodo; & ita v. g. esse hominis, includit negationem in se Leonis, cum tamen nullum positivum includat ens rationis in se.

PRÆMITTO III. *Omne ens rationis est, quid compositum per rationem, compositione non quidem formali semper, semper tamen saltem æquivalenti.*

RATIO. Quia nullum est ens rationis, quod non sit impossibile, si impossibile involvit duo membra, nempe esse & non esse, si enim impossibile involveret solum esse, impossibile non esset, si item involveret solum non esse, impossibile non esset, quia reinderet in negationes, quæ se ipsis non sunt impossibiles, aut saltem non sunt formaliter quid impossibile. Probat hoc inductio in omni ente rationis, ut in hircocervo & aliis. Ly autem Chimæra est nomen universale impositum ad significandum ut sic, Ens rationis, quod ut sic, non debet importare compositionem, sicut animal non importat compositionem, licet quæcunque species animalis importet compositionem. Quanquam Chimæra ex primæva institutione supposebat pro Lemuribus, hoc est Diis compositis cum corpore marino, ut quidam dicunt. Sed Calpurnius dicit significasse fabulosæ bestiam, caput Leonis, ventrem Lupæ & caudam Draconis habentem. Ex quo inferes quod salvari hoc sensu possit dictum illud Alarcon, quod ens rationis sit quid fictum, exprimens aliquid verum.

NORO. Ens Rationis, secundum quamcunque partem singillatim acceptam, non esse impossibile, sed simpliciter possibile, componiturque ex possibilibus, & ita in Hircocervo partes componentes Hircus & Cervus sunt posibles, sed identitas illorum impossibilis. Casu autem quo fiat ens Rationis, impossibilitatem possibilitati identificans adhuc partes Entis rationis compositivæ, saltem mediata sunt posibles; quia ipsum impossibile, componitur ex Esse & non esse. Singillatim autem hæ partes sumptæ, sunt posibles. Nam non tantum verificativum sui habet Ly Deus, sed etiam ly non Deus, omnes enim Creaturæ sunt non Deus. Et tamen impossibile quoddam est, Deus non Deus. Item, Casu, quo duo entia rationis componantur ut Hircocervus & Leocornix, partium ipsarum partes singillatim acceptæ possibilitatem importabunt.

Ceterum. De illo ente rationis, quod potest fabricari in hac propositione: Non est Deus, notandum id venit. Dupliciter se-

posse intellectum habere circa dictam propositionem. I. Non faciendo ens rationis ullum, ut si dicat; creatura non est Deus, quæ propositio non potest esse ens rationis, cum sit propositio de ente reali, cum prædicato æterna veritatis, possibilitatem & veritatem illius negationis importante. II. Possum pronunciare, non est Deus faciendo ens rationis, stans in simplici apprehensione, virtualiter composita non existentia cum Deitate, hæc enim sola formalis fabricatio entis rationis.

PRÆMITTO IV. *Quod in fabricatione entis rationis duo spectari possint. I. Conceptus formalis entis rationis, qui est ipsa mentis actio, & hæc est quid reale. II. Ipsum objectum huius conceptus, quod ipsum rursus dupliciter spectari potest. I. pro ipsa expressione pro ipso verbo mentis, quod verbum mentis, ab actione mentis in nostris principiis re non differt, & hoc verbum mentis adhuc est reale, in ente rationis. II. potest spectari illud ipsum expressum illo verbo mentis, adeoque ut alibi dico, objectum objectivi conceptus, de hocque solo verificatur, quod habeat esse nonnisi objectivè in intellectu, conceptus enim formalis & Verbum mentis, etiam subjectivè, habent esse, cum vera & physica efficientia, ab intellectu.*

RATIO. Quia posse fingi accipitur hic pro potentia fingendi, quæ est quid reale cum sit ipsemet intellectus, potens fingere, inde tamen non sequitur quod aliqua realitas conveniat enti rationis, æquivocus enim effectus, non est necesse ut participet eandem rationem cum causa, & sicut posse intelligi spiritualiter, non tribuit objecto esse spirituale, sic nec posse fingi, tribuit objecto aliquod esse reale, præcipue verò, quia causa causat effectum, eo modo, quo ipse est causabilis; nam taxa conditionis existentia effectus, non est causa, sed ipsa conditio effectus, non enim ideo effectus est talis, quia causa non potest illum producere nisi talem, sed potius ideo causa non potest effectum producere nisi talem, quia ipse effectus, non est nisi talis producibilis; cum ergo conditio entis rationis sit talis, ut non nisi objectivum esse possit habere, sit ut nec potentia intellectiva, possit illi dare aliud esse. Et licet omnis causa realis, tam

PRÆMITTO V. *Sicut in entibus realibus constituximus supra triplicem statum, statum possibilitatis, statum essentie, & statum existentia, ita in presenti cum quadam proportionem improprietatissima facere possumus de quo toto ut discurratur distinctius.*

ASSERO I. *Possibilitatem entis rationis extrinsecam stantem in posse fingi, omnino esse realem.*

RATIO. Quia posse fingi accipitur hic pro potentia fingendi, quæ est quid reale cum sit ipsemet intellectus, potens fingere, inde tamen non sequitur quod aliqua realitas conveniat enti rationis, æquivocus enim effectus, non est necesse ut participet eandem rationem cum causa, & sicut posse intelligi spiritualiter, non tribuit objecto esse spirituale, sic nec posse fingi, tribuit objecto aliquod esse reale, præcipue verò, quia causa causat effectum, eo modo, quo ipse est causabilis; nam taxa conditionis existentia effectus, non est causa, sed ipsa conditio effectus, non enim ideo effectus est talis, quia causa non potest illum producere nisi talem, sed potius ideo causa non potest effectum producere nisi talem, quia ipse effectus, non est nisi talis producibilis; cum ergo conditio entis rationis sit talis, ut non nisi objectivum esse possit habere, sit ut nec potentia intellectiva, possit illi dare aliud esse. Et licet omnis causa realis, tam

quoad entitatem, quàm quoad modum causandi, producat nonnisi effectum realem, causa tamen realis quoad entitatem, intentionalis & fictiva quoad modum, non debet semper producere effectum realem, poteritq; fingere ens rationis, solumq; causa realis in nominativo & genitivo debet producere effectum realem, non autem causa realis, nonnisi in nominativo.

ASSERO II. *Necessario dari proportionatam intrinsecam possibilitatem, licet æquivocè dictam entis rationis.*

RATIO. Tum quia pone quòd nihil possit concipi tale, quod nonnisi in conceptu objectivo potest habere esse, non erit possibile ens rationis, ergo posse habere esse nonnisi objectivum in intellectu, erit illa possibilitas intrinseca, æquivocè accipiendo possibilitatem. Tum quia possibilitas rei intrinseca, est connexio prædicatorum essentialium, quod competit etiam enti rationis; est enim illi essentialia, ut habeat disconnexa prædicata, habentia nonnisi esse objectivum. Tum quia datur possibilitas extrinseca entis rationis. Ergò respondere illi debet possibilitas proportionata intrinseca, quomodo enim intellectus dare potest esse nonnisi objectivum in intellectu, si nihil potest habere esse nonnisi objectivum intellectu, hocq; solum appellatur nomine possibilitas intrinseca entis rationis. Hæc tamen possibilitas non confert ullum esse reale enti rationis, quia est possibilitas æquivoca ad eum modum, quo dicimus de dissidentibus, concordēs sunt in hoc ut dissideant. Item impossibilitas in hoc consistit non esse possibile, universaliterq; affirmari potest; possibile est, aliquid esse impossibile, alioqui nullum esset impossibile.

ASSERO III. *Etiam essentiam suo modo competere entis rationis.*

RATIO. Tum quia habet suam definitionem. Tum quia quærimus de hoc vel illo, an illud sit ens rationis, quæ questio institui non posset, si nullam haberet essentiam ens rationis. Tum quia dantur etiam de ente rationis propositiones æternæ veritatis, habentesq; veritatem non fictam, benè enim dico & sine fictione, quod habet esse nonnisi fictum, est ens rationis. In idem recedit doctrina illorum qui docent in hac propositione: Chimæra est impossibilis duo contineri Chimæram & ejus impossibilitatem, ejus impossibilitas non est quid fictum, esse autem Chimæram est quid fictum. Vide Arriag. Sect. 4. de ente Rat. n. 47.

ASSERO IV. *Existentiam entis rationis dupliciter spectari posse proportionaliter ad dicta superioris de existentia. I. Intrinsecè secundum quod dicit in esse actu. II. Extrinsecè, secundum quod dicit esse extra causas, secundum quod dicit esse actu. Ens rationis sic sumptum, nihil aliud erit, nisi ipsum illud esse, tantum ob-*

jectivum actu habitum, secundum quod autem dicit ipsum illud esse extra causas, sic sumptum Ens rationis, est, quod habet esse tantum objectivum, h. e. in quantum jam est extra potentiam fingentem, objicientem &c.

ASSERO V. *Ante actuale esse existentielle ut ita dicam entis rationis, præcedit esse existentielle, potentiale, ut ita dicam.*

RATIO. Supponamus Petrum primò fingere ens rationis, quo posito sic urgetur. Vel erat id ens rationis antequam primò fingeretur vel non erat, si erat, ergò primò fictum non est, deberetque esse æternum, quia non esset ratio, cur non esset prius semper, se primò ut supponitur ficto; si autem non erat, quæro vel supponebatur posse fingi vel non, si non supponebatur ante fictionem posse fingi, ergò fingi actu non potuit, quia quod non potest fingi actu, non fingitur actu, si supponebatur posse fingi, haberetur intentum, hoc enim solum hic intelligitur.

DICES. Cum Ovid. Quamvis unio possit intelligi ut potens esse seu ut possibilis, ex eo tamen nemo dicit, non esse de essentia unionis actu unire. Ergo nec ex eo quòd possit intelligi ens rationis potens cognosci, sequitur essentiam illius non esse, actu cognosci.

RESPONDETUR. Esse essentiam unionis actu unire si existat, sed non esse essentiam illius actu unire, quasi non sit in statu possibilitatis aduniri, & quasi semper exercere debeat actum uniendo, ergo idem in presenti etiam dicendum. His præmissis sit.

Punctum Difficultatis 3.

Deciditur de Difficultate.

DICENDUM est. *Quod ens rationis sit ens dicens disconnexionem prædicatorum in quantum illa est radix essendi tantum objectivè in intellectu. Dicitur ens rationis, ens, quia aliàs diximus posse ens, in tam lata significatione accipi, ut extendatur etiam ad entia rationis. Est autem ens dicens disconnexionem prædicatorum ut ostendatur, quòd pro generica ratione dicat rationem impossibilem, ipsum autem Ly Impossibile non ponitur pro Genere Entis Rationis, quia erat necesse, potius Ly ens pro Genere ponere, ob expresse, rationem Entis, in his ipsis terminis Ens Rationis positam, & sicut rectè definitur Ly Homo aliquis per Hominem individuum quia ipsum Ly: Homo aliquis importat Hominem, ita & Ens rationis debuit definiri per Ens, quia Ens rationis, in ipso suo nomine importat Ens. Est autem illa disconnexionis radix, ut ponatur, pro illius differen-*

differentiali aliquid absolutum, nam præcisa, ut dixi supra, ratio habentis non nisi esse objectivum, est ratio respectiva. *Est autem radix essendi & non existendi*, quia essentia prior est existentia, conceptus autem definitivus debet procedere per prima. *Est autem radix essendi tantum objective in intellectu*, ut condistingatur ab impossibilibus, quæ dantur etiam extra intellectum. *Ut id melius explanetur*

Noro hic aliquas distinctiones propositionum v. g. I. Ens habet esse in intellectu tantum objectivum, hæc propositio non explicat naturam entis rationis, quia de facto lapis cognitus, non habet aliud esse in intellectu, quam objectivum, neque tamen lapis cognitus, est ens rationis. II. Ens habet esse objectivum tantum in intellectu, hæc etiam propositio non explicat naturam entis rationis, quia convenit etiam entibus realibus, nam res spirituales, non habent esse objectivum nisi in intellectu, hic enim solus res spirituales agnoscit, & tamen res spirituales quæ tales, non sunt Ens rationis. III. Ens rationis est id, quod habet esse tantum objectivum in intellectu: Ly tantum potius cum esse construendo, quod scilicet sit talis natura, ut nullum illi esse competat, nisi quod est objectivum in intellectu.

Quares, an saltem similitudo duorum entium rationis sit realis, hoc ex alibi dictis solvi debet, physicè enim spectata illa ratio non est realis, cum sic spectata, sit ipsa extrema, quæ non sunt realia, sed entia rationis. Metaphysicè autem spectata illa relatio, est formalitas, sed ex illa nihil ad realitatem, argui potest.

DIFFICULTAS II.

An detur Ens Rationis?

Non est questio de hoc an dari possit à parte rei ens rationis, sed an possit fabricare intellectus noster ens rationis, quale jam descriptum est. Negat Durand. Valesius, Mirandulanus. Communis sententia affirmat.

DICENDUM est. *Fabricari posse Ens rationis.*

PROBATUR I. Qui negat ens rationis vel cognoscit id quod negat, posse ab intellectu fabricari, vel non cognoscit, si cognoscit ergo illud fabricat, quia illi dat tantum esse objectivum in intellectu, si autem illud non cognoscit, quid negat?

RESPONDEBIS. In probabili sententia Deus cognoscit entia rationis, nec tamen facit, ergo probabile est cognoscere entia rationis, non hoc ipso ipsa facere. Deinde cum dico ne quidem concipi potest, quod uno eodemque actu idem affirmetur, & simul sit negatio affirmationis, numquidne sequetur cognosci jam id, quod est affirmatio, esse negationem affirmati-

onis, ita etiam negare quod possit formari ens rationis, non est formare ens rationis.

CONTRA est. Tum quia nego, hoc ipso, non facere Deum ens rationis. Tum quia quando nego posse concipi ut affirmatio sit negatio, nego id posse concipi, conceptibilitate debita entibus realibus, sed non nego, posse id concipi conceptibilitate indebita.

RESPONDEBIS II. Quando dico incognoscibile non potest cognosci, vel cognoscitur, quod negatur vel non? si cognoscitur incognoscibile non est. Si non cognoscitur, quomodo de illo negatur, quod nosci non possit.

CONTRA. Incognoscibile etiam nunc cognosco, sed quod illic non cognosco, est ipsum materiale, & quod latet sub illo incognoscibili, cognoscibile autem, non nisi in ipso incognoscibili.

RESPONDEBIS III. Quando dicitur: Nego impossibile cognosci, ly nego impossibile cognosci duplicem habet sensum: I. ut propositio hæc mea, negas impossibile cognosci, sit reflexa supra aliquod iudicium falsum de rebus possibilibus, & hæc propositio hoc sensu est vera. Deinde potest habere sensum, quod propositio negans, sit actus directus, habent pro objecto aliquid implicatorum, & hæc propositio hoc sensu est falsa, adeoque falsum erit, quod possit concipi impossibile per modum possibilis. Quod ipsum alia distinctione exprimitur. Nego impossibile cognosci, ita ut mea hæc propositio negans, faciat sensum primo intentionalem, licet faciat sensum secundo intentionalem, hoc est, quod tunc habeatur pro objecto, ipsum illud iudicium.

CONTRA. Tum quia quando nego impossibile cognosci, licet possim pro objecto habere ipsum meum iudicium, cur non possim habere pro objecto objectum ipsum implicatorum? cur item illa propositio non habeat sensum primo intentionalem? Tum quia non tantum experior me dicere habeo iudicium falsum, sed etiam experior me apprehendere ipsum impossibile seu involvens contradictoria. Tum quia illius iudicii (de quo infra) essentialiter falsi debet haberi objectum, quod jam non erit reale quia esset verum, ergo illius iudicii objectum debet esse non reale, seu impossibile quod intenditur.

PROBATUR II. Ens rationis est illud quod habet esse tantum objective in intellectu. Sed multa sunt talia ut hircocervus, Leomus &c. similia.

RESPONDEBIS. Hoc argumentum procedat a definitione ad definitum, sed qui negat definitum, negabit & definitionem, ad eum modum quo dum aliquis negat Angelum corporeum, negabit & definitionem Angeli corporei.

CONTRA. Falsum est quod qui negaret Angelum corporeum, negaturus sit definitionem Angelicæ corporei hypotheticam, sub conditione impos-

impossibili, ad eum modum quo qui negat infinitum, non negat definitionem hypotheticam infiniti, imò ex ea arguitur impossibilitas infiniti. Et certè is qui negat Angelum corporeum debet scire quid neget, prius saltem natura noscendo quid sit negaturus priusquam neget, quod si scit quid sit negaturus, debet illius conceptum legitimum sibi formare. Quod si formet sibi conceptum legitimum entis rationis, hoc ipso illud formabit.

PROBATUR III. argumento negativo. Non implicat contradictionem posse formari ens rationis. Quod si non implicat illud formari, poterit ab intellectu formari.

RESPONDEBIS. Non implicare quidem contradictionem ut formetur ens rationis sed nesciri modum ejus formandi, consequenter nesciri, quod de facto concipiatur, ad eum planè modum quo asserit aliquis posse Angelum transire ab extremo ad extremum sine medio, licet non intelligatur modus hujus transitus, idemq; constringit in aliis materiis, præcipuè verò in mysterio Trinitatis & Incarnationis.

CONTRA. Tum quia qui novit definitionem entis rationis, hoc ipso novit modum ejus formandi, nempe ut sibi objiciat objectum, quod habet esse, tantum objectivum in intellectu. Tum quia similijure dicerem præcisiones formales vel objectivas esse possibiles, nesciri tamen modum earundem formandarum. Tum quia quando modus faciendi non innectitur ipsi deliberationi de modo faciendi, tunc nescitur faciendi modus, hic autem deliberationi de modo faciendi, id quod esse habet tantum objectivum in intellectu innectitur hic modus, nempe præsentatio objecti, quod habet esse, tantum objectivum in intellectu.

OBJICITUR I. Hircocervus ut sit ens rationis debet apprehendi per modum unius, vel simplicis apprehensione, vel via enunciativa, quod neutrum fieri potest, quia vel sciet impossibile hoc esse vel non sciet, si nesciet, non plus faciet quàm is, qui enuntiat aliquid, quod non est verum, si sciet hoc esse impossibile, extrinsecus quidem diceret hircum esse cervum, sed interius nunquam id dicere poterit, intellectus enim qui est potentia necessaria, nunquam potest assenti falsò.

RESPONDETUR ad hoc, ut fiat ens rationis ex objecto, sufficit concipi id, quod habet esse tantum objectivum in intellectu, ut autem etiam ex parte subjecti fiat ens rationis, debet judicare, esse illud objectum impossibile, sed non impossibile, ut habeat esse tantum, objectivum in intellectu, licet impossibile judicet, ut illud objectum habeat esse aliud, hinc identitati illi hirci & cervi assentietur tanquam habeat esse tantum objectivum in intellectu. Sed non assentietur tanquam alicui objecto reali.

OBJICITUR II. Quando dico homo est lapis,

vel dico tantum homo, identitas lapidis, vel affirmo hominem esse identificatum lapidi, Si primum, ergò sensus illius dicti erit, homo homo, identitas identitas, lapis lapis consequenter nihil erit in illa propositione quod chimericum sit, nec erit affirmatio ulla, sed mera terminorum congeries. Quod si dictæ propositionis sensus sit: homo dicit identitatem cum lapide. Contra est. Quia nihil hæc erit impossibile non homo, non lapis, non etiam identitas, quia hæc identitas est conjunctio facta per intellectum, quæ non est impossibilis, sed de facto datur.

RESPONDETUR. Identitatem prædictam duplicem esse, I. acceptam pro actu intellectus conjungente illa duo & hæc est possibilis, eamq; solam evincit objectio. II. Identitas est objectiva, & hæc est chimerica.

INSTABIS. Si huic propositioni homo est lapis, responderet objectiva identitas ficta, illa affirmatio esset vera, consequenter nec faceret ens rationis. Sequel. probatur. Quia affirmaretur dari unio & identitas ficta inter hominem & lapidem, verum autem est esse illic identitatem fictam.

RESPONDETUR. Negand. Sequel. cum sua probatione, quia illius propositionis homo est lapis, non est sensus, homo dicit identitatem fictam cum lapide, sed sensus est quod dicat identitatem simpliciter, quæ tamen non est, nisi ficta per intellectum in hocq; stat formalitas, entis rationis.

OBJICITUR III. Impossibile est intellectum determinari ad duo contradictoria. Sed si intellectus concipiat homo est lapis determinabitur ad duo contradictoria.

RESPONDETUR. Non posse intellectum determinari ad duo contradictoria per assensum utrique, sed posse per apprehensionem utriusque. Hunc qui scit hominem non esse lapidem, non potest affirmare hominem esse lapidem, per secundam operationem, potest tamen apprehendere per primam. Quanquam dici etiam potest quod sicut datur locus duobus fictis contradictoriis quasi vera essent, sic potest dari etiam locus fictæ determinationis ad duo contradictoria, licet non detur locus determinationi veræ.

OBJICITUR IV. Nihil est intelligibile nisi sit reale, ens rationis non est reale aliquid, ergò nec est intelligibile, nec dari poterit. Major probatur. Quia omne intelligibile prius est quàm intelligatur.

RESPONDETUR. Id quod assumitur, verum est de intelligibili speculativo, non de practico, vel ad maximum verum est de intelligibili reali, non autem ficto, seu de intelligibili quod ipsum sit per rationem. Quanquam radix ipsa esse tantum objectivi in intellectu, ex dictis, reperibilis in ente rationis, potest dici prior præesse ipsius actuali.

OBJICI-

OBJICITUR V. Assumendo hoc principium, quia concurrentia ad ens rationis non sunt ens rationis. *Ex quibus*

PRIMUM est Principium, quod fit à causa reali; Ens rationis fit à causa reali. Ergo.

RESPONDETUR. Missis aliorum variis responsionibus, quod ens rationis secundum id quod importat cognitionem se representantem sit quid reale, non autem secundum id quod representatur. Ne autem id quod sit reale, quamvis illam representationem faciat causa realis, hoc obest, quia tunc causa realis, ponit effectum realem, quando operatur modo suæ realitati proportionato, secus si non tali modo opereatur. Et sicut dum aliquid facit causa spiritalis non est necesse, ut sit semper spirituale, ita nec erit necesse reale esse semper, quod faciet causa realis, præcipue causa quæ est principium intentionum, quæ se possunt extendere etiam ad non realia. Hoc quod facit reale illa causa realis, est ipsa representatio, seu verbum mentis, hæcque sola representatio, proprie fit.

II. PRINCIPIUM. Ordo realis arguit extrema realia, est autem ordo realis inter cognitionem & ens rationis.

RESPONDETUR. Est ordo realis, & habitudo, privationis ad subiectum capax, nec tamen privatio, est quid reale. Quod si dicas importationem alicujus realis, per modum connotati, non arguere utriusque extremi realitatem, idem in præsentia dicam. Item, est ordo realis cognitionis noscentis nihil ad nihil, & tamen nihil, non est quid reale. Quod si dicas hunc ordinem esse de linea intentionali, qui potest haberi realis etiam ad non ens; idem in præsentia dici poterit. Dicitur etiam potest ordinem ad maximum realem prædicamentalem, exigere extrema realia, non autem ordinem transcendentalem, qualis est Notitiæ entis rationis, ad ens rationis.

III. PRINCIPIUM. Nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu, ens autem rationis non fuit in sensu.

RESPONDETUR. Nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu vel in se vel in aliquo sui, hoc est, specie deservitura ad ejusdem representationem, deserviunt autem sub sensum cadentia ad entis rationis representationem, fabricationem &c. Concedo tantum esse in ente rationis, quantum in eo cognoscitur, vel quantum directe vel reflexe cognosci potest; ratio autem ficti saltem reflexe potest illic nosci, & quando componitur ens rationis, partes quidem illius secundum se spectatæ sunt reales, sed non sunt reales, prout componentes, importantesque unionem seu identitatem.

OBJICITUR VI. Non potest concipi ex parte objecti tam impossibile positivum v. g. identitas hominis & cervi, quam impossibile negativum v. g. negatio Dei. Ergo nec potest tor-

mari ens rationis. Antecedens probatur, quia cum tu concipis identitatem inter equum & hominem, vel concipis aliquid distinctum ab equo & homine, & sic non concipis identitatem, quia hæc nihil addit supra id cujus est identitas, vel concipis ut nihil distinctum, & sic non concipis identitatem, sed potius distinctionem, si quidem distinctio nihil aliud est, quam ipsæ duæ entitates distinctæ.

RESPONDETUR. Neg. Antecedens, concipiendoque illam identitatem non concipio quid distinctum ab equo & homine simul sumptis, licet concipiam quid distinctum ab homine singillatim, & equo singillatim sumpto.

OBJICITUR VII. Omne intelligibile objectum est ens reale, ens rationis non est ens reale. Ergo. Major probatur. Illud est ens reale, quod habet aliquod esse independentem à cognitione. Sed omne intelligibile, habet aliquod esse independentem à cognitione. Ergo. Major probatur, quia id quod est independentem à cognitione jam non habet, esse tantum objective. Minor autem probatur, quia omne intelligibile antecedit cognitionem suam, sicut omne producibile antecedit productionem. Et ratio est, quia prius est posse cognosci, quod significat intelligibile, quam actu cognosci.

RESPONDETUR. Omne intelligibile antecedit cognitionem suam, non quoad esse suum actuale, sed antecedit vel quoad esse actuale, vel quod suum originativum & quod aliud imitatur; Ens autem rationis imitatur Entia realia. Unde si non esset intelligibile hircus & non esset intelligibile cervus, non esset hircocervus, quæ duo simul imitatur hircocervus, importando realem identitatem ipsius hirci & cervi. Comoda est & illa responsio quod scilicet intelligibile cognitione speculativa antecedit cognitionem, non autem intelligibile cognitione practica.

INSTAT I. Quod est intelligibile cognitione practica, est tale ab æterno, & tamen non est ab æterno ejus cognitio practica, ergo etiam intelligibile cognitione practica, præcedit suam cognitionem practicam.

RESPONDETUR. Sicut illud intelligibile practicum ab æterno est, ita & cognitio practica possibilis ab æterno est, habetque talem suam essentiam, ut dicat se non antecedere sui cognitionem, adeoque in sua essentia involvendo fieri ab illa; ita etiam & ens rationis, in sua essentia, ab æterno, involvit habere non nisi esse objectivum in intellectu, adeoque involvit fictionem sui.

INSTAT II. Debet per nos concedi quod ens rationis, habeat essentiam & quidem necessariam, immutabilem, æternam, ergo ens rationis habet essentiam realem, quando quidem esse æternum, & necessarium est reale, utpote habens suum esse independentem à cognitione fingente, quæ est in tempore, habebitque existentiam suam realem,

tealem, siquidem essentia & existentia, non distinguuntur realiter.

RESPONDETUR. Ens rationis habere suam essentiam, sed tantum in disconnectione praedicatorum, quibus connexio, non possit, nisi ab intellectu, dari, convenitq; hoc illi, non ex libertate sed necessario, non contingenter sed immutabiliter; immutabile est enim, quod non possit habere esse nisi objective, incipitq; hæc existentia non in tempore suo ab æterno, sed quia dicit disconnectionem praedicatorum, non erit hæc illius essentia realis, cum in suo esse involvat cognitionem possibilem fingentem; nec habebit existentiam suam realem, quia nec habet essentiam realem; sed sicut in sua essentia exigit fingi, ita & in sua existentia, pendebit à fictione.

INSTAT III. Omnis notitia causatur realiter ab objecto tanquam à causa, nulla autem Chimæra potest esse causa vera.

RESPONDETUR. In communibus principiis: Objectum causat realiter notitiam, ratione specierum impressarum, si objectum in notitiam per se ipsum non influat. Species autem inveniuntur etiam in fabricatione entis rationis, terminativus autem concursus, cum non involvat efficientiam realem, potest competere etiam iis, quæ non sunt ens reale. Quanquam si non admittatur concursus effectivus specierum in notitias, ipsum Antecedens indigeret explicari.

QUÆSTIO II.

De Causis entis rationis.

UNIVERSALISSIMA divisione duplex causa entis rationis cogitari potest creata & increata. De utraque inquirendum est.

DIFFICULTAS I.

De Causa Creatæ Entis Rationis.

ASSERO I. *Sensus externos non facere ens rationis.* Est conclusio plurium contra Arriag.

RATIO. Tum quia sensus non attingunt nisi sensibile, sicut intellectus intelligibile. Ens rationis autem, non est quid sensibile, sensibile enim debet esse aliquid reale, puta color, sonus &c. Tum quia quomodo faciant sensus Ens rationis explicari non potest, nullaq; necessitas & fundamentum tribuendi illis hanc virtutem. Tum quia quæcunque ratio probat, quod universale non fiat per sensus, eadem probabit quod nec ens rationis fiat per sensus.

DICES I. Cum Arriag. Casu quo uni loco alligatum unum colorem, per species alias, alibi intuerer, ut fit in speculo & tamen impossibilis

esset visio illius objecti in illo loco, verè tunc faceret sensus ens rationis. Quia videret objectum non reale, & quod nullum habet esse, præter objectivum in potentia vitiva.

RESPONDET OVIEDO. Colorem qui sit ejusdem speciei, & tamen alligatum certo loco, non posse à Deo creari, ex se enim est indifferens, ad esse in hoc vel illo spatio. Quod si tamen decreto Dei alligaretur uni loco, non esset simpliciter impossibile, hinc oculus illum videns, non haberet objectum simpliciter impossibile. Quod si Deus crearet colorem distinctum specie & non ejusdem rationis cum coloribus, qui nunc dantur, non spectaret ad potentiam huius ordinis, adeoq; ab illa videri non posset. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Cur enim colorem etiam distinctum specie, à præsentibus, non posset præsens videre oculus. Deinde sicut ponibilis est color distinctus specie, alligaturq; uni loco, ita ponibilis est potentia perceptiva illius coloris, & de hoc quæro, cum possit videre illum colorem per alias species ut fit in speculo, cur tunc non videat ens rationis.

RESPONDET aliter recent. Suar, quod colorem essentialiter alligatum uni loco, non possit videre in alio loco oculus. Rationem dat, quia illum nec per proprias, nec per alienas species videre potest. Non per alienas, quia oculus abstractivè non cognoscit, non etiam per species proprias, quia illæ cum objecto, sunt alligatæ non nisi uni loco. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Quia non implicat species transferri in alium locum.

RESPONDETUR aliter. Oculum non facturum tunc ens rationis; sed quæ est ratio cur apparens non nisi objectum videri possit, eadem tunc reddi poterit, & sicut, dum non nisi apparens aliquid videtur, referri id debet in species, medium, potentia affectionem, ita in eadem principia referri debet, quare color alligatus uni loco, videri possit alibi. Adde hoc argumentum non esse evolutum, si enim impossibile est objectum in alio loco videri, qui supponi potest quod videatur, ad eum modum, quo si impossibile est concipere intellectum, id quod habet esse, tantum objectivum in intellectu, qui supponi posset, nosci illud.

DICES II. Impossibile potest intelligi per species alienas, ergo & videri v. g. tenebræ per species nigredinis.

RESPONDETUR. Casu quo intellectus intelligat per species alienas, non extrahendum illum extra suam speciem, secus si oculus videret tenebras. Et certè intellectus habet vim naturalem noscendi per species alienas, oculus autem non habet vim noscendi non coloratum, verè autem illæ tenebræ non essent coloratæ, quod si non essent coloratæ, non illæ viderentur, si non illæ viderentur,

derentur, non videretur quidquam quod esset impossibile.

ASSERO 2. *Etiam Phantasia, non posse facere ens rationis.* Est assertum contra Suar. & Arriag.

RATIO. Quia etiam illa non percipit plus, quam percipiant sensus externi, nec ad aliud se extendit, quam ad sensibilia. Ens autem rationis non est sensibile. Quod ipsum sic aliter proponitur. Si sensus communis, phantasia, &c. faceret ens rationis, & haberet objectum idem collectum quod sensus particulares & non haberet, haberet quidem ut supponitur, non haberet autem, quia extenderetur etiam ad id, quod non percipitur sensu, nempe ad ens rationis.

DICES 1. Sensus internus habet vim comparandi objecta specie distincta, apprehendereque potest hircum tanquam cervum. Ergo potest facere tam bene ens rationis, quam intellectus, dum componit hircum cum cervo.

RESPONDETUR. Sensum internum habere vim noscendi speciem externam hirci & cervi, compositio autem ejus externa non facit ens rationis, sed est possibilis.

DICES 2. cum Arriag. Demus aliquod objectum, quod nec divinitus potest esse nisi in hoc loco, nihilominus phantasia potest illud imaginari in alio loco.

RESPONDETUR. Imaginationem solum efformaturam sibi speciem externam illius rei, conjunctam cum sensibilibus illius loci, jam autem ad rationem entis rationis, non sufficit unio externorum speciei, alias pingeretur etiam ens rationis, invenireturque in monstris. Consultatur Pontius hanc objectionem solvens.

DICES 3. Fallitur canis, umbrâ hominis, & si tunc percutiatur occulte ab altero, putabit se percussum ab illa umbra hominis, hinc umbram illam allatrabit & refugiet. Ergo conjungit ille canis duo impossibilia.

RESPONDETUR. Eo casu non imaginari canem quod sit illic umbra, sed quod sit homo, nec imaginatur identificationem illorum duorum, quod tamen requiritur ad rationem entis rationis. An autem negationes cognoscat sensus, de hoc alias actum.

ASSERO 3. *Per secundam & tertiam operationem non posse ens rationis fieri ab illis, qui tenent oppositum.*

RATIO. Quia impossibile est fieri secundâ & tertiâ operationem, sine proportionato assensu & dissensu, nullo enim distingueretur à prima operatione, consequenter nec potest fieri per illas ens rationis, sine assensu vel dissensu. Sed si oppositum constat, non potest fieri assensus vel dissensus, intellectus enim est potentia necessaria, ergo nec fieri eo casu, per illas operationes ens rationis.

ASSERO 4. *Per primam operationem posse fieri ens rationis, etiam ab illis qui oppositum sciunt.*

RATIO. Quia ex una parte habetur in intellectu vis apprehendendi oppositum ei quod scitur, ex alia parte non repugnat etiam identitatem horum concipi, ut dictum supra, Ergo verè tunc fiet ens rationis.

ASSERO 5. *Quamvis voluntas possit ferri in impossibile conditionatè, hoc tamen ferri ipsius, non est propria & rigorosa datio esse, enti rationis.* Prima pars asserti aliunde supponitur, statque pro illa experientia, alias nunquam possemus dicere: vellem non peccasse, vellem amare Deum amore infinito &c. Secunda pars asserti sic

PROBATUR. Si fieret ens rationis à voluntate, fieret ex eo, quia aliquid impossibile, haberet in voluntate, esse tantum voliti. Sed per hoc non fieret ens rationis, quod ipsum probatur, quia si esse nonnisi voliti, daret voluntas, vel daret esse nonnisi voliti in actu primo, seu potius volibilis, & hoc non, quia hoc habet ex sua entitate facta, prout proposita ab intellectu, sicut & alia, rationem volibilis in actu primo, desumunt ab ipsamet entitate. Non dat etiam esse voliti in actu secundo, quia in hoc esse voliti, est actus volitionis, qui est quid reale, est etiam objectum, circa quod versatur volitio, cui Esse, non dat voluntas, sed supponit datum ab intellectu, ergo non dat volitio, esse voliti Chimæra.

Quod ipsum ulterius in hoc principium resolvitur, quia voluntas dat esse objecto, sed trahitur ab objecto, cum tamen esse, possit tribuere enti rationis, intellectus; quia voluntas ex suo modo tendendi trahitur, non dat esse, & sicut esse vis, dextri, nullum dant esse, sed supponunt circa quod versantur vel illud circumstantionant, ita & esse voliti, non dat esse.

DIFFICULTAS II.

De Causa increata Entis Rationis.

Sensus tituli est: An Deus faciat ens rationis, qua in re divisi sunt auctores, aliqui dicunt Deum nec cognoscere, nec facere etiam indirectè ens rationis. Ita Vasq. & Alarcon. Alii censent Deum cognoscere entia rationis, sed non facere. Ita Herize, Ruiz & alii: Alii docent Deum & cognoscere & facere directè entia rationis. Ita Fonseca Molin. & Ovied. Nomine indirectè facti entis rationis, intelligunt cognitionem, cognitionis, facientis ens rationis; nomine autem directè facti entis rationis, intelligitur, si illi datur esse, independenter ab omni intellectu creato. Si quis assumeret non posse fieri

†S

fieri

fieri ens rationis nisi per iudicium falsum, indubiè sequeretur à Deo illud non posse fieri, quia implicat eum facere iudicium falsum, sed nego aliter illud non posse fieri. Ut tota difficultas perstringatur.

ASSERO 1. *Deum cognoscere entia rationis à nobis facta.*

RATIO 1. Quia vel scit Deus omnem cognitionem, quam habeo, vel non scit; si non scit, omniscius non est; si non scit, & est omniscius, deberet nescire, ex eo, quia objectum scibile non est, est autem scibile ens rationis, quia alias nec ab intellectu creato sciri posset: si autem scit me facere ens rationis, ergo debet cognoscere & ipsum ens rationis, quia ad illud, cognitio, dicit ordinem transcendentalem.

RATIO 2. Ex Pontio. Quia si non cognosceret Deus ens rationis, non posset de aliqua propositione iudicare, quod esset vera, quia non posset iudicare, an sit conformis objecto: Si objectum ipsum non noscit, consequenter nec posset iudicare, an sit verum, Chimæram esse impossibilem, si non noscit chimæram.

RATIO 3. Ex absurdis. Quia Deus interrogatus, de quo cogitet homo, casu quo cogitet ens rationis, deberet respondere nescio. Cum item in multis occasionibus blasphemix committantur cum entibus rationis, puniens pro illis Deus, puniret pro eo, quod nesciret. Unde cum Deus cognoscat meam cognitionem, quæ repræsentat non solum extrema realia componentia ens rationis, sed & ipsam identitatem illorum, etiam hanc omniscius intellectus noscere debet. *Ad solvendas objectiones*

Noto. Deum cognoscentem entia rationis à nobis facta, non daturum extremis componentibus identitatem veram, sed tantum pro statu fictionis, cognosceret illa extrema, sibi identificari fictè. Unde Deus non fingeret tunc propriè, quia fingere, propriè est dicere aliter, quam in mente habeas, sed fingeret abusive, in quantum fingere, supponit pro dare esse tantum objectivum; ita tamen ut in Deum non cadat fingere entia rationis ex necessitate, quam importat imperfectus modus noster cognoscendi, nec ex deceptione erronea; sed ex titulo noscendi, quæ à creatura noscuntur.

ASSERO 2. *Quando cognoscit Deus cognitiones nostras, quæ faciunt ens rationis, & ex consequenti quando cognoscit ipsa entia rationis à nobis facta, & ipse facit ens rationis indirectè, ut vocant.*

RATIO 1. Asserti est. Quia cognoscens entia rationis à nobis facta, vel dat illis esse objectivum tantum, vel non dat. Si dat illis esse tantum objectivum, ergo illa facit, quia facere entia rationis, est dare illis esse tantum objectivum, quod solum illis convenit; si autem non dat illis esse objectivum, ergo illa non cognoscit, quia cognoscere tantum esse objectivum, nihil

aliud est, quam dare objecto, esse tantum objectivum.

RATIO 2. Quia si Deus cognoscens entia rationis à nobis facta, non faceret ens rationis indirectè ut dicunt, hoc idè esset, quia daret illis non esse, iudicando scilicet eodem actu rem non ita se habere, ut à nostro intellectu concipitur. Sed hoc non obstat, quia adhuc illis dat Deus esse tantum objectivum, quod ipsum probatur. Quia non potest negare quod aliquid se ita, vel ita habeat, quin illi det esse, quod negat. Hinc, si sit esse tantum objectivum, etiam hoc dare debet, negareque quod illud esse, sit esse verum, simileque quid contingit, cum dat Deus esse cogniti negationibus, quas attingit.

RATIO 3. Desumitur ex dictis supra. Quando ego dico me non posse facere ens rationis, do esse tantum objectivum enti rationis, ergo etiam cum Deus negat esse, entibus rationis à nobis factis, hoc ipso debet illis dare, esse tantum objectivum. Et certè prius est ratione noscere, quid sis negaturus, vel cui sis esse negaturus, quam negare, alias nescires cui aliquid negares, ergo & Deus debet scire, dareque esse illi in suo intellectu, cui debet negare esse verum. Hoc autem esse entis rationis, est esse tantum objectivum. Et sicut, dum ego dico, chimæra non est possibilis, non do esse chimæram, facio tamen ens rationis, ita faceret & Deus.

Est quidem verum, quod quando ego dico: non cognosco Paulum, non sequitur, quod hoc ipso illum cognoscam, ut suppono cognitione clara & germana, quia ad hoc non sufficit habere qualem qualem conceptum objectivum Pauli, sed est necesse, esse reale Pauli, habere cognitum, ad hoc autem ut fiat ens rationis, non est plus necessarium, quam dare illi esse objectivum, extra quod esse objectivum, nullum habet nec habere potest esse. Denique cognoscendo Deus meam cognitionem, tribuit esse illi cognitioni in suo intellectu, ergo & ei, quod repræsentat, idque propter essentialem cum objecto connexionem, jam autem id quod repræsentat, est quod habet esse tantum objective in intellectu.

DICES. Sequitur positâ veritate asserti, non posse à nobis fieri entia rationis, quia impossibile est à nobis fieri ens rationis, quod jam factum manet, nihil enim fit, quod jam factum est. Sed si Deus agnoscendo entia rationis à nobis facta, facit ens rationis, omne ens rationis, antequam fiat à nobis, jam factum maneret ab æternitate à Deo, ab æterno noscente cogitationes nostras, factivas entis rationis.

RESPONDETUR. Imprimis argumentum multum probare, quia probaret etiam cognitionem nullam, posse nos habere, essent enim jam factæ, utpote præcognitæ à Deo. Dein-

de

de cūm Deus faciat ens rationis, non nisi ex suppositione nostrae factionis, hoc ipso debet supponi, factio illius à nobis. Denique nego sequel. probatio illius distinguitur. Impossibile est fieri ens rationis à nobis, quod manet factum à nobis. Conced. Impossibile est fieri à nobis ens rationis, quod factum est ab alio. Subdistinguo: Impossibile est fieri idem omnino, & eadem cognitione qua factum est ab alio conced. diverso modo, diversa cognitione, nego. Diversa autem cognitione nos fabricamus Ens rationis, à cognitione, quā Deus cognoscit Ens rationis.

Noro. Quod Deus sua cognitione neget esse reale entibus rationis, sed non negat esse tantum obiectivum; & licet cognoscens amorem vitiosum, non hoc ipso amet, quia amare non est dare obiectivum amori, sed facere ens rationis, non aliud est quam dare illi esse obiectivum, quod re, est tantum obiectivè in intellectu.

ASSERO 3. Deum directè & independentè à nostris conceptibus facere aliqua entia rationis.

RATIO 1. Asserti est. Independentè ab omni nostra cogitatione, vel scit Pater æternus Personam suam non esse Personam Filii vel non, si nescit, ergo intrinseca sua non novit, si scit non esse identitatem inter suam Personam, & Personam Filii, quæro, an sciat quid esset illa identitas, vel non sciat? si non scit, ergo non scit quid neget negando identitatem, si autem scit, ergo cognoscit illam identitatem, sed illa identitas non est nisi ens rationis, ergo cognoscit illud ens rationis, ergo tribuit illi esse obiectivum, sed illud esse, est esse tantum obiectivè, ergo tribuit illi esse requisitum ad ens rationis, adeoque facit ens rationis.

RATIO 2. Est communis, quia Deus videt repugnantiam hircocervi independentè à nostro intellectu, non potest autem cognoscere repugnantiam, seu negationem hircocervi, quin cognoscat hircocervum.

RATIO 3. Omnis possibilis noscendi modus, non involvens imperfectionem, Deo est tribuendus. Nulla autem imperfectio est, si Deus faciat ens rationis affirmativum, dicendo, Chimæram potest concipere intellectus humanus; vel si faciat ens rationis negativum v.g. Chimæra non est possibilis. *Ad solvenda quæ in contra possent objici.*

Noro 1. Si Pater potest dicere, mea Persona est diversa, à Persona Filii, poterit etiam indubiè negativè dicere: mea Persona non habet identitatem cum Persona Filii, consequenter (ut dictum) noscit, quid sit illa identitas, facit autem dictum ens rationis, non virtualiter tantum sed & formaliter, quia negationem identitatis, noscit in illa ipsa.

Noro 2. Quod concedamus negationem Leonis rationalis, cognosci à Deo in omnipo-

tentia, in qua videt non contineri Leonem rationalem, sed cur non poterit dicere absolute, hircocervus est impossibilis, adeoque noscere impossibilitatem illius, non virtualiter, sed formaliter.

Noro 3. Quod non possit quidquam cognoscere Divinus intellectus, quin cognoscat, consequenter quin det esse obiectivum prædicatis cognitis, consequenter etiam prædicatis entis rationis, quæ prædicata Entis rationis, non tantum neganter cognoscit Deus, quod ipsum sufficeret, ut dixi ad ens rationis, sed etiam affirmanter, ut cūm dicit: Chimæra est ab intellectu humano fingibilis. Addo falsam esse hanc causalem: ideo nos facere entia rationis, quia cognoscimus res per alias species: nam licet hoc in aliquibus entibus rationis fiat, qualia concedimus Deum non facere, sed id non evenit in omnibus entibus rationis. Imò Pater æternus non per alias species cognoscit negationem identitatis inter suam & Filii Personam, & tamen facit ens rationis, attingendo illam identitatem.

DIFFICULTAS III.

Potestne cognosci obiectum distinctum ab omni Ente reali?

CONTRA hætenus de ente rationis dicta assumitur hoc principium: Non potest ab intellectu cognosci, aliquod obiectum, distinctum ab omni ente reali.

Punctum Difficultatis 1.

Quid tenendum?

DICENDUM est. *Posse.* Ita antiquitas contra Recentiores.

PROBATUR 1. Quia id non excedit vim noscitivam creatam, estque secundum exigentiam Entis definiri post Aristotelem, & à sententia communi, Entis inquam, quod habet, esse tantum obiectivum in intellectu. Vis hujus probationis stat in solutione argumentorum.

PROBATUR 2. Si intellectus obiectum non posset esse quidquam ab omni ente distinctum, id ideo esset, quia in illa cognitione, quæ dicitur esse statutiva entis rationis, iidem sunt termini, qui habentur dum attingitur obiectum reale. Sed hæc ratio non convincit. Tum quia iidem sunt termini in propositione affirmativa, qui in negativa opposita, si demas copulam, & tamen hoc non obstante, hæc propositio est affirmativa, illa negativa, Ergo etiam quantumvis utrobique sit obiectum reale, si mutetur copula, poterit

ferit importari duorum realium, non realis identitas, esseque illa non realis identitas, obiectum intellectus. Tum quia licet eadem sit via Athenis Thebas & Thebis Athenas, hoc non obstante, dum itur Athenas, non itur Thebas, ergo etiam quantumvis in cognitione statutiva entis rationis, idem sit obiectum subiecti & prædicati, quæ sunt realia, itio illa per affirmationem vel negationem tanquam motus intellectus, potest versari circa aliquod non reale, cum altera versetur circa reale. Tum quia nihil sibi suum contradictorium identificat, nec idem identificat sibi oppositum, hoc ipso enim non esset idem, quo posito sic urgetur. In una propositione, quæ sibi non contradicit, sunt iidem termini, cum ea quæ contradicit, excepto v.g. negatione, & tamen hoc non obstante, hæc est contradictoria illius, cum illa sibi non contradicat, Ergo quantumvis utrobique sint termini reales, poterit esse alterum, dicens, non reale aliquid. Quæ omnia hoc respiciunt, quod alietas modi habendi se eorundem terminorum, possit varietatem adferre, adeoque & alietatem, ita ut cum fuerit actum reale, non attingatur reale.

PROBATUR 3. Tum quia cum omnis propositio, non tantum dicat subiectum & prædicatum, sed etiam enunciet per copulam identitatem, vel neget eandem, consequenter non erit iam idem obiectum alietate orta à copula: illud enim non esse idem, potest oriri ab ipsamet obiectivè sumpta copula: Hoc supposito sic urgetur. Dum dico homo est cervus, quod idem est: Esse identitatis hominis, est esse identitatis cervi, illa identitas vel est realis vel non est realis; si est realis, ergo vera non falsa erit propositio, nam identitas realis est identitas vera; si est illa identitas non realis, vel est obijcibilis vel non est obijcibilis, si non est obijcibilis: ergo nec illic est *Ly identitas* cum non attingatur, nec attingibilis sit, si enim attingibilis esset, attingeretur à notitia; si est obijcibilis, ergo potest esse obiectum intellectus aliquid non reale, ergo distinctum ab omni ente reali, non reale enim, est distinctum ab omni reali.

Quod ipsum sic proponitur. Vel potest intellectus apprehendere identitatem Entium, quæ non possunt esse idem realiter, seu non dualitatem, dualitatem realium, vel non potest apprehendere: si potest, habetur intentum, nempe posse habere intellectum pro obiecto, aliquid, distinctum ab omni ente reali; si non potest apprehendere, detur hujus implicancia. Rursus si non potest apprehendere identitatem realem Entium, quæ non possunt esse idem, ergo dum enuntiat dualitas realium, est identitas duorum seu non dualitas, dum inquam enuntiat non enuntiat, quia non enuntiat, quod non apprehendit. Tum quia illi cognitioni quam appellant oppositum sentientes necessario falsam, vel respondet obiectum necessario

falsum vel non respondet, si non respondet, ergo nec est cognitio necessario falsa, nulla enim cognitio sine obiecto, si respondet obiectum necessario falsum, Ergo distinctum ab omni ente reali, nullum enim ens reale est necessario falsum: hoc ipso enim non esset ens reale, reale enim identificat sibi verum. Tum quia habere, esse tantum obiectivum in intellectu, importat obiectum distinctum ab omni ente reali, nullum enim ens reale est, quod habeat, esse tantum obiectivum in intellectu, Tunc quæro vel potest aliquid habere esse tantum obiectivum in intellectu, vel non potest? si non potest, cur non? quæ in hoc implicancia? cur identitas cervi & hirci non dicetur habere esse tantum obiectivum in intellectu, totaque supposito post Aristotelem totius communis Philosophiæ, nulla erit; si potest, ergo aliquid distinctum ab omni enti reali, potest esse obiectum intellectus, nullum enim ens reale est, quod habeat esse tantum obiectivum in intellectu.

Punctum Difficultatis 2.

Impugnantur Responsiones.

RESPONDEBIS 1. Illam identitatem realem duorum realium, esse non nisi necessario falsam.

CONTRA. Quæro, illa identitas duorum realium necessario falsa, vel est realis vel non realis, si non realis, ergo distinctum ab omni ente reali, quare illud, non reale, erit obiectum intellectus; si est realis, quomodo necessario falsa, vera enim erit, quia Enti reali convenit Veritas.

RESPONDEBIS 2. Identitas hominis secum, est identitas realis, identitas etiam cervi secum, est realis, & talis enuntiatur inter hominem & cervum, Erat ergo identitas realis, adeoque obiectum illud non erit distinctum ab omni ente reali.

CONTRA. Conced. quod identitas cervi secum sit realis; hominis item secum; sed quæro: an identitas illorum inter se, sit realis? si realis, ergo est vera & non ficta. Si non realis, & tamen illa est obiectum, ergo intellectus attingit objecta distincta ab omni ente reali. Deinde distinguenda est una identitas realis, h. e. Entitatis realis, seu in genitivo, alia identitas realis nominativè ut ita dicam, est ergo concessibile illam identitatem hirci & cervi esse entis & entis realis, quia ex similitudine ad entia realia, ponitur inter hæc, quæ non possunt esse realia; sed quomodo realis est illa identitas h. e. non ficta, h. e. non habens, esse tantum obiectivum in intellectu? Denique conced. quod identitas hominis & cervi simul sumptorum

fit

fit realis hoc sensu, quia est desumpta ex similitudine & penetratione, quid sit hominem esse secum idem, translata ad illam impossibilem identitatem, sed quæro hominem & cervum esse idem, sic, sicut homo est sibi idem, vel est quid reale, vel non est quid reale? si non est quid reale, ergo aliquod objectum distinctum ab omni ente reali, potest esse objectum intellectus. Si autem illa identitas est realis, ergo vera, & si identitas realis, quæ est necessariò vera, translata ad hircum & cervum simul sumptos, evadit essentialiter falsa, quare identitas realis, translata ad hircum & cervum simul sumptos, non evadit essentialiter non realis, in ipsis ut dico objectis spectata, & in istis. ad quæ transfertur, licet in istis, à quibus transfertur, sit realis. Et sicut esse aurum verum, est quid reale, translatioque illius ad aurichalcum, est translatio realis auri, neque tamen reddit aurichalcum aurum realiter, ita identitas realis hominis, quæ transfertur ad hominem cervum, est identitas realis, non facit tamen hominem & cervum esse realiter idem, & tamen apprehenduntur esse realiter idem, illaque illorum ficta identitas realis, est distincta ab omni ente reali, sicut aurichalcum est distinctum ab omni auro vero.

RESPONDEBIS 3. Illa identitas realis non eorundem realiter, est quid extrinsecum, estque denominatio extrinseca à cognitione essentialiter falsa.

SED CONTRA. Quod attinet ad cognitionem falsam essentialiter, de illa actum supra, nunc discutienda est ista denominatio extrinseca, ad quam fit à respondente non rarus recursus, ut videre est dum dicit etiam possibilitatem creaturarum esse denominationem extrinsecam: Sic ergo urgetur. Tum quia denominationi extrinsecæ, debet respondere necessariò denominatum extrinsecum, ut videre est in aliis, nam cognitioni respondet cognitum, visioni visum, &c. Præter inductionem ostendit id paritas, quia denominationi intrinsecæ respondet denominatum intrinsecum, quod ulterius in hoc fundatur, quia denominatio, cui non responderet denominatum, & esset denominatio ut supponitur, & non esset, nihil enim denominaret, si autem respondet denominationi extrinsecæ denominatum extrinsecum, quæro illud denominatum extrinsecum, vel est inter entia realia tale esse, quale est solus homo, solus bos, solus Deus &c. vel non est, tale esse. Si est, ergo est æque possibile illud denominatum extrinsecum ac dicta entia, consequenter non erit impossibilis homo cervus. Si non est inter entia realia, ergo objectum distinctum ab omni ente reali, potest esse objectum intellectus, nempe illud denominatum extrinsecum. comparatum v.g. ad hominem & cervum, sit illis extrinsecum seorsim sumptis, neque enim

illa impossibilitas, reddit hominem, in se, vel cervum impossibilem, sed illa impossibilitas illorum possibilitati, illa non realitas, illorum realitati, est quid extrinsecum, ipsum tamen denominatum extrinsecum, non est sibi extrinsecum, esse enim cognitum, sibi cognito, non est extrinsecum, quod ipsum fundatur in hoc, quia nihil sibi ipsi est extrinsecum, adeoque extrinsecum, sibi non extrinsecatur, quo posito quæro: illud denominatum extrinsecum, proveniens ex cognitione essentialiter falsa, vel est quid in se reale, adeoque non distinctum ab omni ente reali, cum sit indistinctum à se, vel est quid in se reale, vel non est quid in se reale. Si est in se quid reale, ergo & est possibile, adeoque illius possibilitas erit Deus, habebitque se quoad suam possibilitatem hircocervus ita ac homo, ab æterno utrumque considerando; si non reale, ergo potest aliquid distinctum ab omni ente reali, esse objectum intellectus, nempe illud denominatum extrinsecum. Tum quia denominatum illud extrinsecum, vel pullulat ex cognitione essentialiter falsa attingente objectum reale, quod est cervus, vel non pullulat; si non pullulat, ergo illa cognitio non est essentialiter falsa: nam objectum illius homo & cervus singillatim spectati est objectum verum, cognitionis autem essentialiter falsæ, objectum, debet esse essentialiter falsum. Cumque in omni denominatione alia extrinseca, pullulet ratione nostra denominatum extrinsecum, etiam hinc pullulare debet, sicut pullulat cognitum ex cognitione & objecto; si pullulat, estne illud objectum distinctum ab omni ente reali vel non? si non distinctum, ergo ex cognitione essentialiter falsa pullulat objectum verum, quia reale; quomodo ergo illa ipsa notitia erit essentialiter falsa: si pullulat ex cognitione essentialiter falsa objectum non reale, ergo habetur intentum, nempe posse intellectum attingere objectum distinctum ab omni ente reali. *Totum hoc sic aliter proponitur.*

Identitas hominis & cervi, talis, qualis est inter hominem ad se & cervum ad se, denominatum item extrinsecum hominis & cervi à cognitione essentialiter falsa, objectum item cognitionis essentialiter falsæ & cætera similia, ad quæ alternatim recurritur, vel est reale, spectatum penes illud constatum & totum, non autem penes illius extrema, (quæ sunt indubie realia) vel non est reale, si non est reale, ergo potest intellectus attingere objectum distinctum ab omni ente reali; si est reale, quid est impossibile? Concedo ut dixi hominem esse objectum reale, concedo cervum esse objectum reale, concedo identitatem realem hominis transferri à cognitione essentialiter falsa, ad hominem cervum, sed quærere restat, constatum illud ex

homine cervo, factum, ratione translationis identitatis realis, quam translationem facit cognitio essentialiter falsa, vel est reale vel distinctum, ab omni ente reali, si distinctum, cum illud objiciatur intellectui, ergo intellectus est attractivus objecti, distincti ab omni ente reali, si est reale, ergo erit verum, ergo possibile, ergo ab æterno Deus quoad possibilitatem, quod inferebatur supra. Insuper si illud objectum est reale, ergo indistinctum in ratione realis ab homine & cervo, se junctim sumptis, & tamen non dicuntur illa seorsim sumi, sed per modum unius, ergo non accipitur illud objectum contra suppositionem, tanquam idem, cum non sint idem, ergo non accipitur ut conflatum. Denique dum dico: homo est cervus, ponoque cognitionem essentialiter falsam, illi formali, debet respondere objectivum, adeoque identitas eorum, quæ non idem realiter; quomodo cum verum sit & reale, non esse illa idem realiter, reale erit esse idem realiter, id certe esset difficilius mysterio Trinitatis, quia esset duorum contradictoriorum formalium, identificatio, & verificatio, si autem non erit reale, esse idem realiter, ergo intellectus potest attingere objectum distinctum ab omni ente reali, nempe attingendo objectivum illud Est, propositionis essentialiter falsæ, quæ dicit: homo est cervus.

Quæ adferri solent ex S. Thoma hoc tantum volunt, quod nullus recte dispositus intellectus, possit assentiri duobus contradictoriis, & formare verbum assensivum illis, sed inde nihil sequitur contra nos.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

OBJECITUR 1. Sicut objectum adæquatum potentia visiva, est color, & circumscribit & comprehendit omnes actus illius; ita objectum adæquatum intellectus, est verum, ita ut objectum formale motivum sit id, quod participat rationem veri. Porro objectum, quod per adversarios est distinctum ab omni ente reali, nec est verum, nec participat quidquam de veritate, constat enim juxta ipsos, ex terminis repugnantibus, ac mutuo se falsificantibus, & destruentibus intentionaliter, puta, hircocervus constat ex esse hirci, & ex esse cervi, qui cervus est, non esse hirci, ex qua mutua destructione intentionaliter horum terminorum, uterque remanet destructus intentionaliter, ac proinde neutrum remanet verum; scilicet, nec esse cervi, nec esse hirci, non secus ac ex mutua physica destructione duorum, utrumque remanet physice destructum.

RESPONDETUR. Sicut in divisione latissima entis, datur ens commune & entibus rationis & negationibus, ita dabitur & verum commune illis, taleque verum, est objectum adæquatum intellectus, sicut color visiva, cumque non ostendatur non inesse vim intellectui statuitivam ita communis rationis entis, quæ extendatur etiam ad entia rationis & negationes, hoc ipso non ostenditur, quod sub eadem latitudine verum, non sit objectum intellectus. Deinde per nos, ex habitis aliis objectum intellectus est intelligibile, quod non posse extendi ad ens, quod non est reale, necdum ostensum. Rursus objectum adæquatum intellectus est verum cum omnibus ad se revocabilibus; & sicut datur in scientiis revocabilitas imbibita objecto attributionis, quæ depolcit attingentiam etiam oppositorum objecti, ita & intellectus objectum, est verum, sed una cum revocabilibus ad illud, non est autem ratio, cur inter revocabilia tanquam oppositum, non sit objectum distinctum ab omni ente reali. Unde jam aliter se habet sensus, aliter intellectus: sensus enim attingit quidem species coloris, sed ex sua essentiali determinatione, orta fortassis ex materialitate, depolcit non attingere opposita colori, nec novit oculus, quid sit illius objecto oppositum, & sicut id, quod non est attingibile ab oculo, remittit (si sit sensibile) natura, ad noscitivitatem debitam sensui communi, ita quod non attingit, etiam sensus communis, remittit ad potentiam immaterialem universalissimam, hoc est, intellectum, ut etiam oppositum enti reali attingat, nec est ratio cur attingere non possit. Et sicut quamvis noscendo colorem, non noscat gustabile oculus, non licet argumentari, quod id non noscat intellectus, quia est universalior potentia; ita ex eo quod opposita colori vel ad illud revocabilia non noscit oculus, argumentari non licebit, quod opposita enti reali, non noscat intellectus. Adde, argumentem immerito supponere, quod per nos in fabricatione entis rationis ponatur destructio intentionalis terminorum hirci & cervi, cum potius ponatur identitas eorundem, licet in re sit destructio illorum terminorum, in re non identitas. Denique objectum intellectus est verum non utcunque, sed vel verum simplex, vel verum ut ita dicam compositum ex veris, & sicut in Phisicis, aliqua sunt simplicia aliqua composita, & quidem aliqua composita debite, aliqua indebite ut monstra, vel adulterina in artificiatibus; ita quædam sunt simplicia vera, alia ex veris composita, sed si sint debite composita, erunt vera realia, si autem non sint debite composita, non erunt realia vera, veritatemque in hoc participabunt, quia non erunt realia vera.

OBJECITUR 2. Illud objectum implicatorium, vel resultat quasi effectus ex cognitione fin-

gente, vel constituitur per cognitionem fingentem tanquam per formam extrinsecam. Non primum. Quia esse obiectum seu esse cognitum, est denominatio extrinseca, à cognitione, absque ullo ente diminuto resultante ex cognitione, ut docetur contra Scotistas, & si cognitio confusa non efficit quidquam, vel quasi efficit ex parte obiecti, sed solum seipsam addendo, obiectum extrinsecum denominat confusum, idemque est de cognitione conditionata aut disiunctiva respectu sui obiecti, cur etiam cognitio fingens nihil efficiendo, vel quasi efficiendo ex parte obiecti, non poterit suum obiectum extrinsecè denominare fictum. Si autem dicatur extrinsecè constitui per cognitionem fingentem. Contra est. Quia obiectum implicatorium non solum dicitur fictum præcisè, sed etiam dicitur tale fictum, atqui per cognitionem fingentem obiectum non constituitur tale, licet cognoscatur ut tale, cognitio enim non facit tale, sed solum termino tali, superaddit se ipsam præcisè, & sic terminum aliunde talem, facit extrinsecè cognitum, consequenter illa denominatio extrinseca, nullum dicit subiectum denominationis, quod habeat actu vel possit habere esse, præter id quod recipit à forma extrinseca, adeoque forma extrinseca nihil denominabit nisi se ipsam.

RESPONDETUR. Illud obiectum implicatorium resultat quasi effectivè ex cognitione, non quidem quoad terminos, quorum identitas fingitur, qualis est cervus & hircus, sed quoad identitatem eorundem, non inquam quoad terminos illius, quia illi ante omne opus intellectus, habent suum esse reale, secus illa identitas. Esse quidem obiectum & esse cognitum, si formaliter sumantur, est denominatio extrinseca, non tamen esse obiectum, si sumatur secundum id quod obijcitur, vel secundum id quod resultat, est denominatio extrinseca, sicut denominatio visi est denominatio extrinseca, sub ratione visi formaliter, non autem sub ratione ejus, quod videtur. Et licet negetur ens diminutum contra Scotistas, de quo supra, ubi de essentiis rerum; non negatur tamen per nos obiectum aliquod resultans, præsuppositis nostris intentionibus. Sicut nec negatur universale respondens præcisionibus objectivis, quæ non dantur actu nemine cogitante, per nosque actui (qui non est confusus ut alibi dicitur) sed deputativus obiecti à differentiis, respondet obiectum, quod non est nemine cogitante actu, cumque per nos, cognitio fabricativa entis rationis, sit cognitio practica, nec repugnat illam esse practicam, consequenter licet in aliis notitiis, non respondeat quidquam, quasi productum à nostra cognitione, respondere poterit in hac notitia practica. Addo immerito supponere arguentem, quod Ens rationis fiat absolute per secundam operationem.

Formabuntur tamen responsiones, quasi hoc illi concedendo, ne alio avocetur difficultas.

INSTABIS. Identitas hirci cum cervo vel concipitur ut quid superadditum obiecto hircocervo, vel non ut superadditum. Si secundum, ergo obiectivè concipitur solum dualitas realis; si primum, ergo tunc nulla concipitur identitas inter hircum & cervum, quia de ratione identitatis est, ut non concipiatur tanquam quid obiectivè superadditum, extremis, quorum est identitas.

RESPONDETUR. Identitatem illam hirci & cervo divisim & non uniter sumptis, concipi ut quid superadditum, vel potius ut quid illis extrinsecum, à ratione importatum, hirci tamen & cervo unitim sumptis, seu prout sunt jam chimærisati, non est quid extrinsecum illa identitas, cum Chimæra esse Chimæram, non sit extrinsecum, chimærisatur autem, per illam identitatem concipieturque dualitas realis, si non identificati hircus & cervus concipiantur, sed non concipietur dualitas realis, si concipiantur identificati.

OBJICITUR 3. Propositiones contradictoriæ v.g. Homo est Leo: Homo non est Leo, sunt de eodem obiecto terminativo, atqui secunda vera est de obiecto reali, nempe de homine & Leone realibus, ergo & prima fingens. Ergo & propositio fingens non attingit quidquam impossibile ex parte obiecti, nec differt à non fingente, ex parte obiecti terminativi, sed ex modo tendendi quatenus una procedit modo compositivo, secunda modo divisivo.

RESPONDETUR. Propositiones illas contradictorias, esse quidem de obiecto eodem, sed non eodem modo se habent, de eodem inquam obiecto, quia tam in affirmativa sunt duo termini: Homo & Leo, quam in negativa, sed non eodem modo se habent, habitudine diversâ, orta, ex ipsamet particula *est*. Cum enim identitas & non identitas seu alietas non sint idem, identitatemque importet *est*; non identitatem, *non est*, ideo faciunt illos duos terminos: Hominem & Leonem non eodem modo se habere, si faciunt non eodem modo se habere, ergo possunt facere, ut cum non habeant identitatem, habeant identitatem, quæ in illis non est realis, potestque una esse de obiecto reali, alia non reali, oriunda illa non realitate, ex modo aliter se habendi obiecti, quam se habeant realiter. Et si cum dico Pater est Filius, Filius est Patris eorundem terminorum diversâ positio, fundat distinctionem realem; cur affirmatio & negatio, non poterit fundare, esse hoc obiectum reale, & hoc, non esse obiectum reale.

INSTAT 1. Non potest esse aliud obiectum propositionis, nisi quod importatur per subiectum & prædicatum, cum omnis propositio nihil aliud faciat, nisi componat aut dividat inten-

tionaliter, seipsa, objectum significatum ex parte subiecti, cum objecto significato ex parte prædicati.

RESPONDETUR. Objectum propositionis, non solum est subiectum & prædicatum, nam subiectum & prædicatum sunt præcisè termini, adeoque ad primam operationem quid spectans, sed objectum propositionis, est subiectum, copula & prædicatum objectivè sumpta, consequenter si copula non importet realitatem, quantumvis eam importet subiectum & prædicatum adhuc tota propositio non importabit realitatem: nam in propositione vel maxime attendendum ad rationem copulae, objectivè autem sumpta copula, seu secundum identitatem, quæ affirmatur Leonis & hominis, non dicit reale quid.

INSTABIS 2. Quando dico: Homo non est Leo, attingo negationem identitatis objecti, per Ly: *Non est*, significatam, quæro vel illam affirmo vel nego? si primum, ergo est propositio affirmativa nec contradictoria huic: Homo est Leo: si secundum. Ergo est falsa, utpote negans negationem identitatis inter hominem & Leonem.

RESPONDETUR. Affirmat, sed abusivè negationem identitatis, hoc est, suo modo affirmando negationem identitatis, hoc est affirmando quod neget. Et quia illam affirmationem specificat, negatio, transit in conditionem negativam adeoque est negativa, affirmatioque negationis erit ipsa negatio, adeoque contradictoriè opposita. Sed hæc difficultas est communis omnibus propositionibus negativis veris, dicam enim vel affirmat illa negativa illam negationem vel negat, si affirmat negativa non est, si negat vera non est.

Colliguntur quedam.

COLLIGO, quid sit sentiendum de hac propositione: quod ens rationis nihil sit aliud, quam ens reale vel entia realia, quatenus substantia cognitioni necessario falsæ, ita ut ens rationis sit denominatio extrinseca pro materiali, & in recto dicens entia realia, pro formali & in obliquo, cognitionem necessario falsam, tanquam formam extrinsecam, à qua id, quod secundum se intrinsecè & objectivè est reale, denominatur extrinsecè non reale. Et si hoc objectum confusum, Animal ut sic, sunt entia realia extrinsecè denominata à cognitione confusa, nihil producente ex parte objecti, ita & hoc objectum: hircocervus, sunt entia realia, præcisè denominata extrinsecè à cognitione fingente.

Quod attinet ad has propositiones, quod ens rationis nihil aliud sit, quam ens reale vel entia realia, id universaliter non procedit. Si enim dicas quod tenebræ sint lux, vel quod privatio sit negatio, poterit fieri ens rationis, &

tamen non erit tunc objectum ens reale, (ut supponitur simpliciter) sed aliquid negativum. Deinde quamvis saltem ut plurimum Ens rationis conficitur ex entibus realibus, non sequitur pullulans ex illis ens rationis, esse quid reale, in quo tamen pullulante, stat illud habere esse tantum objectivè in intellectu. Est quidem verum, quod ens rationis involvat cognitionem etiam necessario falsam: nam si non esset per nos etiam illa notitia necessario falsa, deberet habere objectum reale, quod negamus. Sed quærere restat; cur illa notitia necessario falsa, non possit habere pro objecto identitatem realium entium, quæ tamen identitas non sit realis? Concedo quod entibus illis realibus duobus, extrinseca sit illa identitas, hoc etiam demus, quod dicat pro formali cognitionem necessario falsam, sed quid repugnat, ut posita cognitione essentialiter falsa, versante circa duo entia v.g. realia, quid inquam repugnat ut veretur circa illorum duorum realium identitatem ipsam, quæ certè in illis non est realis, adeoque habet, esse tantum objectivum in intellectu. Quid item repugnat, ut cognitio essentialiter falsa, attingat v.g. identitatem cervi & hirci, quæ entibus realibus, sit quid extrinsecum, sed non sibi ipsi, & tamen illorum duorum, extrinseca entibus realibus, intrinseca sibi ipsi identitas, sit distincta ab omni Ente reali. Quid item repugnat ut illud extrinsecum non reale, apprehendatur tanquam reale, adeoque ut habeatur tunc objectum non reale, quid item desit illi extrinseco non reali, ne salvet, quod possit cognosci objectum distinctum ab omni ente reali, cum certè extrinsecum illud non reale, sit distinctum ab omni ente reali.

Qui ipse medius terminus sic proponitur. Illa denominatio extrinseca non realis vel obijcitur intellectui vel non obijcitur, si non obijcitur, ergo tantum manet attractio intentionalis, stans præcisè in attractione duorum entium realium, nihilque habetur, quod salvet illud extrinsecum non reale, adeoque nec erit extrinsecum, non reale ut supponebatur. Imò si non obijcitur intellectui illa denominatio extrinseca non realis, quomodo si sibi non est objecta in intellectu, potuit de illa in argumento loqui obijciens, si autem obijcitur illud extrinsecum non reale, vel est illud distinctum extrinsecè ab omni ente reali, vel non est, si non est distinctum, ergo non est non reale extrinsecum, sed reale quid, adeoque non est, quod est, non enim est non reale extrinsecum, cum non sit distinctum à reali, si autem illud non reale extrinsecum, est distinctum ab omni ente reali, & sit ut probatum, objectum intellectui, ergo intellectus objectum, poterit esse distinctum ab omni ente reali.

Quod attinet ad instantiam de cognitione con-

confusa, imprimis in nostris principiis præscindentibus objectivè respondet natura, quæ non fit sed supponitur à parte rei, sed respondet præcisa & depurata à differentiis, quæ depuratio non est à parte rei, ergo etiam in ente rationis, respondentibus duobus v.g. entibus realibus, potest respondere duorum entium non dualitas, quæ non est realis, adeoque poterit esse objectum intellectus distinctum ab omni entereali. In sententia autem admittente actum nonnisi confusum, disparitas est, quia cum universale non sit quod habeat tantum esse objectivum in intellectu, non est necesse, ut quidquam producat tunc intellectus, quia autem ens rationis habet esse tantum objectivum in intellectu, debet aliquid producere, alias etiam extra intellectum, haberet esse objectivum.

QUÆSTIO III.

De Opposito Enti non Ente.

FORMATUR ab aliquibus hæc Thesis. Nullæ negationes distinguuntur à parte rei ab omni ente positivo. Circa hanc Thesis fit

DIFFICULTAS I.

Quid tenendum.

DICENDUM est I. *Nullam negationem distinctam esse à parte rei, ab omni ente positivo & in particulari ab Ente à se negato, seu quod negat negatio.*

PROBATUR I. Nulla res distinguitur à parte rei, ab omni eo quod est, sed omnis negatio à parte rei, est ens positivum negatum, seu quod negatur, ergo nulla negatio distinguitur à parte rei ab omni ente positivo negato. Major innititur illi principio: Quodlibet est quod est, si quodlibet est quod est, ergo non distinguitur à parte rei ab eo, quod est, in quantum enim distinguitur, in tantum illud non est. Minor principalis seu subsumptum probatur, inquisitione quid aliud sit: est enim positivi dejectio ad non positivum, reductio esse ad non esse &c. similia. Hæc autem omnia idem sunt ac quod negatio semper positivum neget, & si neget negativum jam non est negatio, sic v.g. tenebræ sunt privatio lucis, negantque lucem, si negant lucem, & lux est quid positivum, non dicunt distinctionem, ab illa luce negata, cum per illam definiuntur.

PROBATUR 2. inductione. Quia nulla potest ostendi negatio, quæ non neget aliqui positivum, ergo nulla est negatio distincta à parte rei, ab omni Ente positivo negato, & ita tenebræ,

sunt privatio lucis, termini, sunt negatio extensionis &c.

PROBATUR 3. Omnis negatio debet negare aliquid, hoc ipso enim non esset negatio, tunc quæro illa negatio vel negat negationem, vel negat aliquid positivum, præter enim negationem, vel negat aliquid positivum, præter enim negationem & positionem, seu præter negativum & positivum, nihil datur, sicut præter esse & non esse, nihil datur, ergo illa negatio vel negat negationem, vel negat aliquid positivum. Sed negatio non negat negationem, quia non datur negatio negationis, & si daretur, esset illa aliquid positivum, nam ut alibi dictum cum negationis sit destruere, si negat negationem, destruit negationem, si destruit, destruit non esse, non esse autem, non destruitur, nisi per esse, adeoque per positivum, eamque positivitatem infert negatio, negationem negans. Quod si negatio non negat negationem, debet, ut dixi negare aliquid positivum, ergo essentia illius stabit in negare positivum, stat enim essentia negationis in negando, sed non in negando negationem, ergo in negando positivum, ergo non distinguitur negatio, ab eo, quod negat positivum, cum non distinguatur à sua essentia, essentia autem illius est, negare positivum.

DICENDUM 2. *Dari aliquas negationes inexistentes subiecto, quæ non sunt distinctæ ab omni ente positivo.* Prior conclusio procedebat de negatione indistincta ab ente positivo quod negatur. Præsens procedit de positivo, cui à parte rei inexistit negatio. Sic explicata conclusio.

PROBATUR I. Negationes inexistentes subiecto, dicunt semper in recto aliquid positivum, & ita negatio Leonis in homine est ipse homo, prout dicit impossibilitatem rugibilitatis secum. Idem dic de aliis similibus negationibus, ergo secundum id, quod dicunt in recto, non sunt distinctæ ab omni ente positivo, cum illud dicant in recto.

PROBATUR 2. Quia v.g. homo vel dicit se ipso negationem Leonis vel non dicit se ipso, si dicit se ipso, ergo illa negatio non est distincta ab illo ente positivo, quod se ipso, dicit illam negationem, se ipsum enim, non distinguitur à se ipso. Ut quia albedo se ipsa est albedo, albedinem esse albedinem, non est quid distinctum ab albedine, si autem homo se ipso non dicit negationem Leonis, ergo non se ipso affirmat se, consequenter nec erit quod est, id quod est. Sequel. autem probatur, quia se ipso affirmare se, est se ipso negare negationem sui, adeoque negare ea, quæ sunt negatio sui, esse autem Leonis, est negatio quædam hominis.

PROBATUR 3. Quia si negatio Leonis in homine esset distincta ab omni ente positivo cui inexistit, adeoque si esset distincta ab homine, vel esset distincta realiter seu entitativè, vel distincta formaliter ex natura rei actu, vel ratione.

Si

Si est distincta realiter seu entitative, ergo posset separari ab homine negatio Leonis, consequenter posset esse verè homo, & non negare Leonem, ergo posset esse verè homo & affirmare Leonem, cum contradictoriorum alterutrum debeat illi competere. Non etiam distinguitur distinctione ex natura rei actu formaliter, quia hæc distinctio alibi negata. Quod si distinguitur distinctione rationis, illa negatio, hoc ipso non erit illa negatio distincta ab omni ente positivo, & in particulari ab eo cui inexistit; quia sic distincta, in re, sunt illud ipsum cum certis connotationibus & certis *prout*. Et hoc ostendit inductio: sic enim etiam rationale, distinctum ratione, ab animali hominis, est idem realiter cum illo. Quod ipsum in hoc fundatur, quia distinctum ratione sola, hoc ipso non esset sola ratione distinctum, si entitas illius, esset alia à positivo, à quo distinguitur ratione sola.

DICENDUM 3. *Præter negationes inexistentes subjecto positivo, dari nemine cogitante negationes distinctas ab omni ente positivo* (subintellige distinctas non ab omni ente positivo, quod negent, sed ab omni ente positivo cui inexistunt.)

PROBATUR 1. Quia si non darentur negationes distinctæ ab omni ente positivo, falsum esset illud principium divisivum. Quodlibet est aut non est, solum enim esset Est, esset enim non nisi positivum, quia indistinctum à positivo, si positivum, ergo tantum esset *Est* nullumque daretur membrum de Linea *Non est*, sed tantum de Linea *Est*.

PROBATUR 2. Dantur vera contradictoria, ergo datur negatio distincta ab omni ente positivo, nam contradictoria debent esse distincta ab omni ente positivo, positivo enim, contradictoriè, non opponitur positivum, sed sola negatio.

PROBATUR 3. Tum quia ab æterno falsa erat objective hæc propositio. Est lux, ergo vera erat hæc, non est lux, contradictorium enim alterum, debet esse verum. Procedit autem illatio non de veritate formali creata, hæc enim non dabatur, cum nec datus fuerit ab æterno intellectus creatus enuntiativus hujus propositionis: Non est lux, sed procedit de veritate objectiva; si autem vera erat objective ab æterno hæc propositio: Non est lux, ergo & verificativum illius, quod est negatio lucis, eaque passiva, debebat esse ab æterno, sensu aliàs adlato, hoc verificativum est distinctum ab omni ente positivo, ergo & negatio lucis est distincta ab æterno ab omni ente positivo. Subsumpti antecedens probatur, quia ab æterno non erat quidquam positivum nisi ipse Deus, qui non est verificativum illius propositionis: Non est lux. Ergo si dabatur verificativum illius propositionis ab æterno; Non est lux, dabatur condistin-

ctum ab omni ente positivo. Antecedens, quoad primam partem, quod ab æterno non erat quidquam positivum, nisi ipse Deus est de fide, quod Deus non sit verificativum illius propositionis non est lux præter dicta alibi de verificationibus propositionum sic urgetur. Verificativum illius propositionis: Non est lux, est negatio lucis passiva, loquimur enim de non luce, quæ est objectum & terminus decreti divini volentis non esse lucem ab æterno, nec intelligimus activam non lucem, seu id quod facit ne produceretur lux, sed intelligimus non lucem passivam. Sed negatio lucis passiva, non est ipse Deus, ergo nec verificativum illius propositionis non est lux; est ipse Deus. Quod negatio lucis passiva non sit ipse Deus probari potest, quia passiva etiam possibilitas non est ipse Deus; quia terminus ut dictum debet non esse ipsum decretum; quia negatio lucis activa & passiva non sunt idem, ergo cum negatio lucis activa sit ipse Deus, negatio lucis passiva non erit Deus, casuque quo darentur entia positiva ab æterno, verificativum illorum esset ipsum illorum positivum, ergo cum detur ab æterno Ly: non est lux, verificativum hujus erit negatio lucis, non autem Deus sicut non esset verificativum in casu priori. Tum quia si verificativum ab æterno hujus propositionis; Non est lux, non esset, quid distinctum ac omni ente positivo, ideo non esset, quia non esset distinctum à Dei decreto decernente ne sit lux ab æterno, tunc quæro vel potuit Deus dicere, non tantum hoc: decrevi ne sit lux, sed etiam hoc: non est lux? si potuit dicere etiam hoc: non est lux, idque verè, debuit dari verificativum hujus propositionis, quod jam non est decretum Dei, quia hæc propositio est alia, non est lux; ab hac: decrevi ne sit lux, ergo & verificativum prioris debebit esse distinctum à verificativo posterioris, ergo non erit jam decretum verificativum illius propositionis, ergo aliquid distinctum à Deo, ergo distinctum ab omni ente positivo, cum solus Deus ab æterno sit ens positivum. Si autem non potuit Deus dicere non est lux, ergo non respondebit activæ negationi lucis, passiva negatio lucis.

Hoc ipsum sic aliter proponitur. Deus non tantum cognoscit creaturas ex se & in se, sed & in illis ipsis, ergo & negationes non tantum Deus cognoscit activas seu in decreto &c. sed etiam in illismet ipsis. Ergo & verificationem habent in seipsis, ergo distinctæ ab omni ente positivo, quia hoc ipso, jam in ente positivo, & non in seipsis, haberent verificationem.

Rursus hoc ipsum proponitur. Ex hoc, quia Deus decrevit, ut sit negatio lucis ab æterno, rectè infert intellectus creatus, ergo datur negatio lucis ab æterno, ergo etiam ex hoc, quia Deus

perfectionem, ergo dantur frustra, & sunt o-
Deus decrevit, ut sit negatio lucis ab æterno, re-
etè Deus inferet, ergo datur negatio lucis ab
æterno: nam virtualis discursus Deo non repu-
gnat. Si autem dicit Deus non est lux ab æter-
no; huius dicti debuit dari verificativum, quod
jam non est decretum Dei, quia decretum est,
ex quo inferebat non esse lucis, hic autem qua-
ritur de ipso illato virtualiter, ex illo decreto,
nempe negatione lucis; quæroque quis sit, sen-
sus illius illati virtualiter: Non est lux. Ne ergo
dicatur, nullum esse sensum illius dicti divini,
debebit dari verificativum distinctum à decre-
to Dei, adeoque distinctum ab omni ente positi-
vo, cum ab æterno nihil detur nisi Deus. Ne-
que valet si dicas quod respondeat verificati-
vum lux negata, non inquam valet, quia lux ne-
gata est quid distinctum ab omni ente positivo,
est enim in re negatio lucis, quæ quia est contra-
dictoriè opposita, debet esse distincta ab omni
ente positivo. Deinde ipsa lux negata, est quid
distinctum à Decreto, vis enim dare verificati-
vum distinctum à Decreto, est etiam distin-
ctum à luce positiva, quia non esset lux negata,
ergo lux negata est distincta ab omni ente posi-
tivo, quod ipsum intenditur. Denique lux ne-
gata quantumvis quoad vocem, sit quid positi-
vum, tamen quoad formalitatem, nullo discer-
nitur à negatione lucis, negatio autem ejusdem,
est distincta ab omni positivo, quod ipsum ne-
gat, hoc ipso enim illud non negaret. Deinde
ponamus per impossibile non dari Deum vel
erit verum dicere, non est lux vel non? si non
verum, ergo erit lux: nam non lux, falsificari
non potest nisi per esse lucis; si verum, ergo ve-
rificativum illius tunc haberetur jam, non Deus.
Idem proponi potest sic. Vera hæc est propo-
sitiō, negatio Dei, negat asseitatem. Hæc pro-
positio non potest habere verificativum sui
Deum, quia nihil per suum contradictorium ve-
rificatur, habebatque veritatem ab æterno, &
tamen ab æterno, non erat ullum positivum
præter Deum, qui jam supponitur non esse ve-
rificativus illius propositionis. Si autem, illa
propositio, negatio Dei negat asseitatem, non
habet verificativum sui ab æterno Deum, ha-
bebit seipsam, & tamen negatio Dei, non est
quid positivum.

DIFFICULTAS II.

Argumenta in Oppositum.

OBJICIT 1. Maurus q. 49. Log. vel istæ ne-
gationes ponunt aliquam perfectionem, &
conducunt ad pulchritudinem universi vel
non, si ponunt, jam sunt participationes divinæ
bonitatis, adeoque entia: si nullam ponunt

minino superflua; quid enim magis superfluum,
quàm quod nullam perfectionem ponit in uni-
verso.

RESPONDETUR. Quod nullam ponunt per-
fectionem, & cum illarum esse, sit, non esse illa-
rum, etiam dari, erit non dari, ergo illa illatio,
dantur frustra, falsificantem constituit propo-
sitionem. Rursus dici potest sicut datur ens com-
mune ad entia & negationes, ita dabitur & pul-
chritudo, quæ est quid sequens bonum, adfe-
rentque illæ negationes pulchritudinem nega-
tivam, talisque est pulchritudo negatio in homi-
ne, alterius capitis.

OBJICIT 2. Negationes impossibilium dan-
tur necessariò v.g. necessariò datur negatio al-
terius Dei, sed nihil positivum & abusivum,
contra distinctum à Deo necessario datur, ergo
negationes necessariae rerum impossibilem,
non sunt quidquam distinctum à Deo, sed iden-
tificantur cum Deo, qui est unica necessitas
omnis necessarii, possibilitas possibilis, impossi-
bilis impossibilis.

RESPONDETUR. Immeritò ponere argumen-
tum quod negationes dicantur per nos, esse ali-
quid positivum, quod tamen supponit minor.
Rursus dici potest cum negationem dari, sit non
dari, & non existerè, quamvis nihil detur quod
extra Deum necessario existat, potest dari ex-
tra Deum, quod necessario non existat. Assu-
mit etiam rerum impossibilitatem, identificari
cum Deo, & hoc alibi refutatum.

OBJICIT 3. Si darentur negationes abusivæ
contingentium, Deus haberet necessitatem
ponendi extra se aliquid abusivum, eo enim
ipso, quod non ponit aliquod ens, ponit ejus
negationem, sed habet necessitatem non po-
nendi omnia entia, cum sint multa invicem
impossibilia, ergo habet necessitatem po-
nendi multas negationes abusivas, sed talis ne-
cessitas repugnat Deo, quia Deus est ens suffi-
cientissimum, tunc autem aliquid sufficit cum
non necesse est aliud esse, præter illud, ergo non
necesse est dari negationes abusivas.

RESPONDETUR. Cum ponere, significet influ-
xum physicum, positivum, & eductivum extra
causas & cum talis influxus Dei, non detur in
negationes, nec illas ponit. Deinde illarum ne-
gationum poni, est non poni, si illarum poni, est
non poni, adhuc erit Deus ens sufficientissi-
mum, siquidem negationum esse, est non esse,
nec erit necesse aliud quid esse præter Deum,
sed erit necesse, quia est ens sufficientissimum,
non esse, quod ipsum non esse, est ratio formalis
negationum.

INSTAT 1. Deus videns se continere omnem
perfectionem, potest dicere; sufficit mihi mea
infinita perfectio; nolo ut sit quidquam extra
me imperfectum ac defectuosum, sed non posset
hoc dicere, si necessitaretur ad ponendas distin-
ctas negationes à se.

RESPON-

RESPONDETUR. Negando Deum necessitari ad ponendas illas negationes, illarum enim poni est non poni, quod autem non ponitur, ad illud ponendum, non necessitatur Deus.

INSTAT 2. Deus est ita primus fons ex quo sunt omne ens, ut possit liberè claudere talem fontem, sed ex opposita sententia sequitur, non posse hoc Deum, cum eo ipso quod velit, nihil producere, effluent infinitæ negationes abusive.

RESPONDETUR. Neg. minorem, & cum effluere infinitarum negationum, sit non effluere, nihil absurdi sequitur. Influxus positivus in creatura, debet subiacere Deo ut si velit, utatur illo, secus si nolit; sed negationes sunt independentes à divino influxu, utpote quarum esse, sit non esse.

INSTAT 3. Aristoteles dicens primam causam necessario posuisse mundum; posset arguere: Vos non putatis inconveniens quod prima causa necessitetur ad ponendas ab æterno infinitas negationes abusive, ergo multo minus debetis putare inconveniens, quod necessitetur ad ponendum aliquem mundum. Valebitque argumentum Manichæi ex concessio, quod Deus non condiderit muscam; inferentis ergo neque mundum: Si enim Deus necessitatur ad ponendas vilissimas negationes, cur non ad ponendum mundum.

RESPONDETUR. Negando suppositum; quod ponantur negationes, & quod ad illas ponendas, necessitetur Deus. Quod autem independenter à Dei positione sint necessario negationes, & non necessario mundus, id ex eo est, quia ex necessariis negationibus adhuc stabilitur hæc propositio: Nullum est ens, quod non sit à Deo, liberè operante, quod esse à Deo, & liberè operante, exaltat Dei omnipotentiam; non exaltaretur autem, si aliquid faceret, ex necessitate.

OBJICIT 4. Probando, quod negationes æternæ & necessariae impossibilium identificentur cum divina essentia. Divina essentia est prima & necessaria necessitas, ut non detur alter Deus & omnes Chimææ, sed prima & necessaria necessitas, ut non detur alter Deus & omnes Chimææ, est ipsum non esse alterius Dei & Chimæarum. Ergo. Minor probatur nam non esse alterius Dei & chimæarum, est ipsa formalis exclusio alterius Dei & chimæarum, & est formale verificativum propositionis dicentis: non datur alter Deus nec ulla chimæra; sed necessitas ut non detur alter Deus & ulla chimæra, per se ipsam excludit alterum Deum & chimæras ac verificat propositionem negativam, ergo.

RESPONDETUR. Usurpando terminos ipsius Mauri: alias esse negationes & impossibilitates activas, & hæc sunt ipse Deus, alias impossibilitates passivas, quæ non sunt ipse Deus sed objectum & termini activæ impossibilitatis; quæ

impossibilitates passivæ dantur & non sunt ipse Deus nec est ratio, cur non sint verificativæ propositionum æternæ veritatis. Ex vi cujus doctrinæ dist. assumptum; negationes æternæ veritatis. Ex vi cujus doctrinæ dist. assumptum; negationes æternæ activæ identificantur cum Deo, conced. assumptum: passivæ nego assumptum.

OBJICIT 5. Probando quod negationes contingentium æternæ, sed non necessariae, identificentur cum decretis divinis exclusivis contingentium. Negatio æterna mundi nihil est aliud, quàm exclusivum mundi, verificans ab æterno quod mundus non est; sed exclusivum æternum mundi, nihil est aliud, quàm id, quod formaliter impedit ne mundus effluat ex Deo tanquam ex fonte, hoc autem est decretum, quo Deus dicit. Nolo mundum.

RESPONDETUR. Negatio activa æterna mundi & exclusivum activum, est istud decretum, sed non exclusivum passivum, hoc enim est ipsum illud objectum illius decreti; quod objectum, non est ratio, cur non sit verificativum illarum propositionum. Et certè vel datur objectum illius decreti vel non datur, si non datur, ergo non est decretum, quia non est de quo decernat; si est objectum decreti, illud, vel est ipsum decretum, vel non, si est ipsum decretum, ergo decretum se decernit, aut non habet sui objectum; si objectum decreti, non est ipsum decretum, cur non erit illud objectum, ille terminus decreti, verificativumque propositionum distinctum ab ipso decreto, & saltem ponendo, quod indirectè voluerit non existentiam mundi, adhuc illa indirecta non existentia mundi volita, non erit Deus, cur ergo illa indirecta, non erit verificativa huius propositionis: non est mundus.

DIFFICULTAS III.

Argumenta Recentiorum.

OBJICIT 1. P. Joannes Morawski, qui suo excellenti opere Philosophico, Provinciam hanc nostram primus post Smigletium illustravit, & pluribus sententiis ingeniosè adduxit, & pluribus sententiis ingeniosè adduxit, scenam aperuit rimandi verum. Negationibus exclusivis five creaturarum five chimærarum (sola enim negatio Dei dari nequit) quæ dantur à parte rei, conveniunt à parte rei, in se ipsis intrinsecè prædicata re ipsa convertibilia cum ente reali positivo, nempe esse unum, quia negatio objectiva, exclusiva v.g. Antichristi nemine cogitante, & proprii ante omnem nostram cognitionem, est indivisa à se & divisa v.g. à negatione alterius solis, quod est definitivè esse unum, eadem negatio habet, quod sit cognoscibilis, adeoque quod sit verum, sunt item prudenter appetibiles, excepta sola negatione, constituyente malitiam moralem peccati.

RE-

RESPONDETUR. Quòd detur ens, ita modo lato sumptum, ut etiam extendatur ad negationes & non entia, cumque detur ens ita lato modo sumptum, etiam debetur veritas, bonitas & unitas, ita lato modo sumpta, utpote attributa proportionata conditioni entis, adeoque sequentia ejus vel rigorem vel latitudinem. Quod autem detur Ens ita lato modo sumptum, ut extendatur etiam ad negationes, & quidem non æquivocè, docuit Aristoteles 4. Metaph. Text. 2. *Ens autem multipliciter quidem dicitur, verum ad unum, unamque quandam naturam, & non æquivocè. Et infra; Et ens multipliciter quidem dicitur, sed totum ad unum principium.* Afferitque infra illud extendi ad non entia; *quedam, inquam, (supple dicuntur ens) quoniam via ad substantiam, aut corruptiones, aut privationes.* En privationes per Aristotelem entia; Subdit infra, *quare & ipsum non ens, esse non ens dicimus.* Inter si Aristoteles esse tribuit non enti, tribuere etiam ei rationem entis: esse enim & ens indistinguuntur. Attendendo ad negationes inexistentes entibus positivis, ex dictis etiam immediatè responderi potest, quod hæc attributa conveniant à parte rei negationibus, in quantum dicunt in recto aliquid positivum & ens. Attendendo autem ad negationes non inexistentes entibus positivis, conveniunt hæc attributa imitativè & secundum esse positivum, quod negant ut dictum. Si enim negationes non negarent positivum, nec negationes essent, consequenter, nec illis conveniret esse veram negationem, habent ergo esse verum negationes, ratione positivi quod negant, sed inde non sequetur, quòd non dentur negationes, nisi inexistentes rebus positivis, licet non dentur nisi negationes, negantes positiva.

Supponit hæc responsio, aliquas negationes esse quæ non sunt à parte rei adeoque esse aliquas vel fictas vel intentionales. *Negatio ficta* est Negatio v. g. lucis, sparsa per modum veli, vel fumi, vel coloris nigri. *Intentionalis* negatio cum pono suppositionem, si per impossibile Deus non existeret, vel cum de Petro existente dico, Non existit Petrus, porro *ille negationes sunt intentionales*, quarum contrarium est verum nemine cogitante, quale est v. g. Deus existit, Petrus existit. Si enim contradictorium est verum, adeoque positum, negatio illius, est ablata; adeoque positio negationis, non potest esse, nisi intentionalis. *Aliæ autem sunt negationes quæ non sunt fictæ nec intentionales.* Sic negatio bovis dicta de Petro non est intentionalis sed independenter habetur ab omni nostra cogitatione, ex sua enim essentia homo, non est bos. Circa has negationes quæ non sunt intentionales, hoc ipso quòd illæ negationes non sint fictæ & intentionales, debent esse negationes

actuales suoque modo reales. Hoc enim residuum est membrum, quod opponitur ficto & intentionali.

Porro alia est actualitas & realitas negationum inexistentium subjecto, alia realitas & actualitas negationum in se, *Actualitas & realitas negationum inexistentium subjecto* petitur imprimis ex actuali reali positivo & Physico esse, quod dicunt illæ negationes in recto, mera autem negatio seu non existentia, non dicit jam illud subjectum in recto, ut cum dicitur ab æterno non existit creatura, illius non existentie passivè sumpta, non potest ostendi actuale reale physicum esse importatum, *Petitur rursus actualitas & realitas negationum inexistentium subjecto*, ex eo, quòd ad illas, non in illis, sed in subjecto, detur motus actionis physice. Cum enim negatio v. g. Leonis inclusa in Petro, sit indistincta realiter ab ipso Petro, sicut datur motus actionis physice ad ipsum Petrum, ita datur motus ad indistinctam realiter, identificatamque illi esse positivo, negationem Leonis.

Quod autem attinet ad actualitatem & realitatem negationum non inexistentium subjecto, illa imprimis peti potest ex amplitudine acceptibilitatis hujus termini actualitas & realitas, Sicut enim potest accipiens, ita lato modo, ut sit commune ad negationes etiam, cur non etiam accipi potest Ly actu & realiter ut sit commune, etiam ad negationes, quæ non sunt fictæ & intentionales. *Petit item potest hac realitas & actualitas ex eo*, quia etiam negationes tales, dicunt positivum negatum, neque enim negatio potest esse ut dixi Concl. 1. nisi positivi, ratione ergo illius positivi, participant de realitate & actualitate, ita ut sicut lux, & odor non sunt idem nemine cogitante, ita & negatio lucis, à negatione odoris, sit alia nemine cogitante, per imitationem ut ita dicam positivorum quæ negantur. *Peti denique potest ex eo*, quia datur objectivum, *Non est*, præsuppositum omni possibili negativæ enunciationi, & sic ab æterno negatio existentie hominis, erat illud *Non est* objectivum præsuppositum. Ex his

INFERES. Quomodo se habeant comparatè inter se negationes inexistentes subjecto, & non inexistentes quoad suum esse actuale, conveniunt enim in hoc quia utraque negatio, est nemine cogitante, differunt autem subjecto, imputatione recti, terminatione actionis physice, saltem in alio, quæ competunt inexistentibus negationibus. Differunt denique, quia inexistentes, possunt dici habere esse physicum & positivum, non inexistentes autem non habent esse physicum & positivum, nisi illud esse, latius sumptum.

OBJECIT II. Sequitur in sententia opposita dari nunc de facto simul infinitam categorematicè multitudinem negativam, siquidem tot

† T

nunc

nunc actu & simul dantur nemine cogitante, quot sunt possibiles res creatæ, quæ de facto nunc non existunt. Unde cum hæ sint Syntheticæ negationes illarum, quæ nunc simul omnes dantur, dabuntur cathegorematicè infinitæ, infinitum autem negationum iisdem argumentis impugnatur, quibus & infinitum entium. Ecce ratio est, quia illæ implicantiæ desumuntur, ex solo præcisè numero, non ex materia positiva.

RESPONDETUR. Non fore illas negationes, inexistentes enti positivo infinitas cathegorematicè, secundum id quod dicunt in recto, cum ipsa entia positiva, quibus infundantur non sunt infinita actu, secundum autem id, quod dicunt terminativè & tanquam objectum sunt infinitæ, sed non cathegorematicè, quia negant esse positivum, quod ipsum, quia non est infinitum cathegorematicè, nec negationes illæ accommodantes se negatis positivis, erunt infinitæ. Præcipuè autem, quia esse talium negationum, est ipsum non esse, actualitasque illarum, est non esse actu. Et per hoc ostenditur, quod etiam negationum non in existentium subiecto, nulla sit actualis infinitudo, cum illarum actualitas, sit, non esse actu. Retorqueri etiam idem argumentum posset, an relatio diversitatis, quam dicit Petrus ab omni alio ente possibili, claudat sub se infinitum relationum cathegorematicè, an infinitum relationum syn-cathegorematicè. Quæ adferuntur ex august. & S. Thoma, non plus volunt, quam quod in recto negationes, dicant aliquid positivum, illique infundentur, vel quod positivum negent, & nunquam sint summum malum. Quanquam aliqua loca, quæ adferuntur non inferunt thesin. Concedo enim loco illum de Natura Bonic. 14. quod Deus quarundam rerum privationes decenter faciat, sed nego inde inferri, ergo non dantur negationes distinctæ, ab omni ente positivo.

Objici III. sic potest. Per nos non dantur propositiones æternæ veritatis actu veræ, sed nonnisi fundamentaliter, ergo idem dicendum de negationibus.

RESPONDETUR. Si revolvat se mens in se ipsam, advertere se negationes non concipere, nisi præconcepto positivo, experiri que hoc, quisque in se potest, circa negationes, quarum nunquam in ante, formavit conceptum. Quo pacto si daretur intellectus creatus ab æterno, elevatus ad videndum Deum, non haberet fundamentum concipiendæ negationis lucis nisi in Deo, cujus essentia, non potest identificari luci, ergo jam in essentia divina, cognita, non identificante sibi lucem, haberet fundamentum intellectus noscendæ negationis lucis, haberet idem fundamentum in intellectu, non noscete actualitatem lucis, fundamentum in voluntate non discernente productionem lucis, in omnipotentia

non concurrente ad productionem lucis; sed hoc fundamento posito, diceret etiam intellectus: non est lux ab æterno, idque ideò: quia licet illam actualitatem negationis lucis, fundamento nonnisi habito, in positivis, enuntiare possit, quia tamen de facto independentè à nostris notitiis, est negatio lucis ab æterno, sit ut illa aliæque omnes negationes, præter fundamentale illud esse ab æterno, habeat non esse suum actuale, nihil autem simile est nemine cogitante actu circa essentias rerum. Et certe nemine cogitante, vel est ab æterno negatio lucis, vel non est, si est, habetur intentum, si non est, ergo est lux: nam non esse non potest tolli, nisi per esse, tale autem quid non potest proponi de essentis actu.

De negationibus temporalibus sic discurrat idem. Quod sunt temporale positivum impedimentum rei negatæ.

I. ARGUMENTUM est inductio. Privatio formæ ignis in ligno, v.g. activè sumpta, est realiter ipsa forma ligni, impediens in omni eventu naturali, formam ignis. Passivè autem sumpta, est ipsa forma impedita, tenebræ seu privatio lucis activæ sumpta, est interpositio corporis opaci, inter illuminabile & corpus luminosum, passivè autem sumpta, est ipsa lux quatenus impedita per talem interpositionem.

RESPONDETUR. Concedo quod tenebræ requirant lucem impeditam. Sed quære restat: posita luce impedita vel sequitur necessariò, negatio lucis vel non? si non? ergo nec sequuntur tenebræ, quæ supponuntur sequi, in sensuque composito cum impeditione lucis, ne sit, erit adhuc lux, quia non erunt tenebræ: si sequitur necessariò negatio lucis, quæro: an negatio lucis sit distincta ab omni ente positivo lucis vel non? si est distincta habetur contrarium intentò arguentis: si non distincta ergo non lux quæ est aliquid contradictoriè oppositum luci, non erit distinctum à positivo lucis, quanquam rigosè loquendo, malus videtur formari conceptus tenebrarum lux negata, quia de re contradictoria luci nullus formatur conceptus, non contradictorius rigosè, luci autem lux negata opponitur rigosè seu quoad vocem contradictoriè. Rursus quia jam tenebræ dicerent in recto lucem, sed lucem in recto tenebræ dicere non possunt, quia quod dicit in recto lucem, dicit in recto illuminativum, de tenebris illuminativum dici non potest. Jam autem rectum, etiam sine addito, dici solet de illis, quorum est rectum, ita in recto animalitas Petri dicit Petrum, diciturque sine addito Petrus, & sic de reliquis. In re tamen, est hæc oppositio contradictoria, quia sicut enti opponitur non ens, & si facias meram vocalem transpositionem, Ens non erit adhuc contradictio, ita & in præsentia. Deinde quia negatio cui jungitur, subdit illud sibi & malignat illud

illud debellatque quamvis vocaliter ipsa subdatur, verè ergo illa lux negata, non erit quid positivum, sed negatio lucis.

II. ARGUMENTUM ejusdem est. Nullus purus defectus, distinctus realiter ab omni bonitate, & consequenter ab entitate, potest incipere esse à parte rei de novo. Ergo cum negationes temporales, incipiant esse à parte, non sunt puri defectus, distincti ab omni bonitate & entitate, sed potius identificantur realiter in aliqua entitate, incipiente esse à parte rei. Consequentia patet. Antecedens probatur, Quia omne quod incipit esse à parte rei, incipit esse ex vi principii alicujus, ex quo resultat, & à quo determinatur, ut incipiat esse, nihil enim se ipsum determinat ut incipiat esse in tempore, quod autem resultat, quomocunque ex aliquo principio, à quo determinatur ut sit, debet in illo principio aliquammodo contineri, illique assimilari, licet defectuosè. Cum ergo nullus purus defectus, distinctus ab omni ente, continetur ullatenus in ullo principio, nullique principio etiam defectuoso, assimilatur; non enim Deo qui est purum bonum, non etiam ulli causæ secundæ, quæ itidem est bona, ergo nullus defectus distinctus realiter ab omni entitate, potest incipere esse à parte rei.

RESPONDETUR. Concedo totum, quod ordinariè temporales negationes non adveniant, quin simul veniat aliquod positivum naturaliter, quia nulli creaturæ inest vis annihilativa, sed inde non sequitur, non dari ullas negationes, quæ sint nemine cogitante distinctæ ab omni ente positivo; Nec sequitur casu quo fieret annihilatio, id non eventurum. Denique cum etiam negationes sint latiori modo ens, habebunt adhuc suam bonitatem, continerique in causis, latiori modo poterunt.

III. ARGUMENTUM. Omne contingens

quod datur à parte rei, est ex amore innato vel elicitò sui principii erga se, omne enim agens intendens ad bonum operatur, ita ut omnis effectus causæ sit, vel bonum finaliter intentum ab agente, vel saltem medium utile ad bonum finale. Cum igitur tenebræ, peccatum, & similes negationes contingentes, habeant causam & quidem bonam ut probat S. Th. oportet ut habeant aliquam bonitatem saltem in ratione medii, vi cujus sint amabiles à sua causa. Idem probatur inductione, quod nullum ita sit defectuosum, quin competat illi aliqua perfectio.

RESPONDETUR. Duplices sunt effectus, aliqui effectus proprii, & hi requirunt causam perfectivè agentem, poniturque tunc aliqua in se entitas, ad quam terminatur actio propria. Alii effectus sunt improprii, talis improprius effectus, sunt tenebræ, silentium &c. Supponuntque ut ita dicam causam defectivè agentem, hoc est non operantem. Hi defectus non est necesse ut in se terminent actionem, possuntque non proficisci ex actione, amore; sed proficisci ex eo, quia non amantur, quia nihil agitur. Rursus, etiam illis, conceditur à nobis, sicut entitas, ita & bonitas latiori modo sumpta. Addo hoc argumentum tractat de negationibus inexistentibus subiecto, de quibus supra dictum, quod non sint distinctæ ab omni ente positivo, ejusque bonitate in recto.

Denique Addo hanc categoriam, negationum. Est negatio ut sic, sub illa ponitur negatio nemine cogitante & aliquo cogitante, sub negatione nemine cogitante ponitur negatio quodammodo physica actualis, & tales sunt negationes inexistentes subiecto, & aliæ actiones actuales non physica, talesque sunt negationes æternæ in se spectatæ.

Post disceptationem de Negationibus succedit negatio tractandi Metaphysica. Utinam hic de Ente Tractatus cedat ad honorem Entis Entium.

Ad M. D. G. Bq; V. H.
b.m.

